3 1761 08824534 5

PRESENTED

TO

THE UNIVERSITY OF TORONTO

BY

THE UNIVERSITY OF STRASSBURG,

GERMANY.

JANUARY 10TH, 1891

Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/lateinischeaufs00galb

COMMENTATIONES LATINAE

CUM BREVI INSTITUTIONE

ET

THEMATUM NONNULLORUM DESCRIPTIONE

IMPRIMIS DISCIPULIS

PRIMAE ET SECUNDAE CLASSIS GYMNASIORUM

OBTULIT

J. GALBULA.

DUESSELDORPII, 1874.
VENDIT AD. GESTEWITZ.
BIBLIOP. CAESAR. REG.

LaL.Gr
G1487Kx

LATEINISCHE AUFSÄTZE

NEBST EINER KURZEN ANLEITUNG

UND

DISPOSITIONEN ZU DENSELBEN

VORZUGSWEISE

FÜR PRIMANER UND SECUNDANER DES GYMNASIUMS

VON

J. GALBULA.

DÜSSELDORF, 1874.

VERLAG VON ADOLPH GESTEWITZ.

KAISERL. KÖNIGL. HOFBUCHHÄNDLER.

№ 1832

12202
14/1/91

Vorwort.

Das vorliegende, mit möglichster Sorgfalt redigirte Buch hat zunächst den Zweck, strebsamen Schülern der oberen Gymnasialklassen ein practisches Hülfsmittel zur Aneignung eines guten lateinischen Stiles in die Hand zu geben, das vor Allem geeignet wäre, ihnen das Abfassen lateinischer Aufsätze, welches erfahrungsmässig Anfängern eine nicht geringe Mühe verursacht, in der einfachsten und natürlichsten Weise zu erleichtern.

Nach einer kurzen, auf das Nothwendigste sich beschränkenden, (deutsch und lateinisch abgefassten) theoretischen Anleitung, die vorzugsweise dazu bestimmt ist, den Schüler mit dem nöthigen oratorischen Rüstzeug zu versehen, folgen 30 lateinische Aufsätze über verschiedene gangbare historische und philosophische Stoffe in correctem und leichtfasslichem Stile. Es soll eben durch Musterproben dem Schüler Gelegenheit geboten werden, sich die Anforderungen an einen guten lateinischen Aufsatz sowohl hinsichtlich des Inhaltes als der Form zum Bewusstsein zu bringen und nach ihnen seinen eigenen Stil zu bilden. Hierzu eignen sich aber weit besser kleinere, den Gegenstand in schulmässiger Weise behandelnde und sowohl dem Verständniss als der Nachahmung keine allzu grosse Schwierigkeit bietende Aufsätze, als einzelne abgerissene Stücke aus den dem Schüler oft schwer

verständlichen Werken alter oder neuer Lateiner. Eine missbräuchliche Benutzung solcher Probeaufsätze aber ist schwerlich zu befürchten, da diese ja schon durch eine leicht zu bewerkstelligende Controle von Seiten des Lehrers ausgeschlossen ist.

Die hinzugefügten, kurz gefassten und in lateinischer Sprache ausgeführten Dispositionen über grösstentheils neue Themata dienen ebenfalls dem Zwecke, dem Anfänger die Behandlung solcher und ähnlicher Gegenstände zu erleichtern.

Zugleich dürfte das Buch einerseits dem Schüler als ein nützliches Lesebuch empfohlen werden können, dessen Lectüre ihn durch seinen belehrenden Inhalt anzuregen und seine Kenntniss der Grammatik und besonders der Phraseologie zu fördern im Stande ist, und andererseits dem Lehrer eine passende Grundlage für mündliche lateinische Vorträge und ein willkommenes Material für schriftliche Stilübungen (Pensa und Extemporalia) darbieten.

Der Verfasser.

Inhalts-Verzeichniss.

Einleitung.

Seite

§. 1. Worin liegt die Schwierigkeit des Lateinschreibens? 1
§. 2. Allgemeine Regeln. 7
§. 3. Die verschiedenen Verbindungs- und Uebergangsformen. . . . 11
§. 4. Die Chrie. 18

Exempla commentationum.

1. Unius viri prudentia Graecia liberata est Europaeque succubuit Asia. 37
2. Quibus rebus Solon de civitate Atheniensium optime meruerit. . 41
3. Romanorum reges pro suo quemque ingenio bene de civitate Romana meritos esse. 45
4. De bellis a Romanis adversus Tarquinios gestis usque ad pugnam apud lacum Regillum commissam. 51
5. De plebis secessione in montem Sacrum. 54
6. Clarae Deciorum mortes pro patria oppetitae. 57
7. Quatenus M. Furius Camillus alter urbis Romanae conditor recte dici possit. 61
8. Quanta fide Hannibal iusiurandum patri datum, se perpetuum Romanorum inimicum fore, servaverit. 63
9. Quatenus recte illud dixerit Velleius Paterculus: „Potentiae Romanorum prior Scipio viam aperuerat, luxuriae posterior aperuit“. 68
10. Romanos bis salutem debuisse Arpinatibus. 73
11. Cn. Pompeium et secundam fortunam et adversam praeter ceteros mortales expertum esse. 78
12. De primo qui dicitur triumviratu. 83
13. Calamitas virtutis occasio est. (Chrie). 87
14. Fortuna plerumque eos, quos plurimis beneficiis ornavit, ad durioreu casum reservat. 92

Seite

15. Non esse domesticas fortitudines inferiores militaribus. . . . 97
16. Quomodo Romani iustitiam etiam adversus hostes servaverint. 102
17. Bene ferre magnam disce fortunam! 106
18. Parva saepe scintilla contempta magnum excitavit incendium. 111
19. Nihil perniciosius est in civitate seditione atque discordia. . . 115
20. Socrates hanc viam ad gloriam proximam et quasi compendiariam dicebat esse, si quis id ageret, ut, qualis haberi vellet, talis esset. 120
21. Publicae utilitatis speciem prae honestate contemnendam esse. . 125
22. Ante mortem neminem beatum dicendum esse Croesi, Lydorum regis, exemplo comprobatur. 128
23. Virtus repulsae nescia sordidae — Intaminatis fulget honoribus. 133
24. Icari fabula quid nos doceat. 136
25. Nimia libertas et populis et privatis in nimiam servitutem cadit. 142
26. Socrates cur non accesserit ad rempublicam, demonstratur. . . 147
27. De iustitia, firmissimo civitatum fundamento. 151
28. De diversis iniustitiae generibus et causis. 158
29. Tempori cedere, id est necessitati parere, semper sapientis est habitum. 162
30. De vi et natura historiae. 168

Thematum nonnullorum descriptiones.

1. Quid Lycurgus fecerit ad leges suas confirmandas. 176
2. Themistocles Atheniensibus suadet, ut in naves se suaque conferrent. 177
3. Coriolanus plane alter Themistocles. 178
4. De Cimone et Pericle. 179
5. Rectene Cicero Epaminondam summum omnis Graeciae virum dixerit, quaeritur. 180
6. Comparantur inter se Epaminondas et Gustavus Adolphus. . . 181
7. Quae in Socrate maxime laudanda esse videantur. 183
8. Philippi Macedonis historia quid doceat. 184
9. Philippus Macedo num in magnorum virorum numero habendus sit. 185
10. Cur Philippus, rex Macedonum, quotidie se ex somno excitari iusserit his verbis: „Surge, rex, et hominem te esse memento?“ 186
11. Demonstretur, quibus potissimum virtutibus Alexander Magnus ornatus fuerit et quibus vitiis gloriae suae maculas adsperserit. 187
12. Unus homo nobis cunctando restituit rem. 188
13. Bellum Iugurthinum quibus de causis magnum vocatur a Sallustio? 189

Seite

14. M. Tullio Ciceroni nulla in parte civis optimi voluntatem defuisse. 190
15. Cur Cicero detecta coniuratione Catilinaria non statim graviter in eum statuerit. 191
16. Occisus Caesar aliis pessimum, aliis pulcherrimum facinus videbatur. 192
17. Augusti vita apud prudentes varie extollebatur arguebaturve. . 193
18. Quibus rebus apud Phoenices navigatio et mercatura adiutae sint. 194
19. Comparetur bellum Peloponnesiacum cum primo bello Punico. 195
20. Quam vim habuerint bella Punica ad Romanorum opes et mores. 197
21. Vergilii illud: „Tu ne cede malis, sed contra audentior ito“ toti populo Romano propositum videtur fuisse. 197
22. Quam vim habuerint ludi gladiatorii ad formandos Romanorum mores. 198
23. Quaeritur, quibus causis factum sit, ut mores Romanorum, postquam per quinque plus saecula fuerunt insignes, prorsus corrumperentur. 200
24. Quibus causis Ulyxes Achilli persuadere studuerit, ut pugnae rursus interesset. 201
25. Quid Socrates apud Xenophontem de amicitia et de amicis eligendis praescripserit. 202
26. Nihil agendo homines male agere discunt. (Chrie.) 203
27. Festina lente! (Chrie.) 204
28. Quam mobilis sit aura popularis. 207
29. Bella, quamvis perniciosa sint, tamen non omni utilitate carere. 207
30. Vitam nostram peregrinationi similem esse. 208
31. Magnus est ille, qui in divitiis pauper est, sed securior, qui caret divitiis. 210
32. Virtutem incolumem adimus — Sublatam ex oculis quaerimus invidi. 211
33. Minus ex crastino pendes, si hodierno manum iniecceris. . . . 212
34. Non qui parum habet, sed qui plus cupit, pauper est. . . . 213
35. Prudens futuri temporis exitum — Caliginosa nocte premit deus. 215
36. Quales fuerint Homericorum deorum mores. 216
37. Quarum virtutum exemplar Ulyxes ab Homero nobis propositus sit. 217
38. Laus agriculturae. 218
39. Inimica est multorum conversatio. 219
40. Longum iter est per praecepta, breve et efficax per exempla. . 220
41. Mala sua amare malorum ultimum est. 221
42. Omnes artes artissime coniunctas esse cum virtute. 222

Seite

43. Dos est magna parentium virtus. 224
44. De poetarum et apum similitudine. 225
45. Neglegere, quid de se quisque sentiat, non solum arrogantis est, sed etiam omnino dissoluti. 226
46. Ut adversas res, sic secundas moderate ferre difficillimum est. 227
47. Quod Cicero (pro Arch. p. c. 1) dicit, omnes artes cognatione quadam inter se contineri, id ipsum, cum dicendi arti operam daret, non neglexisse. 229
48. Quomodo inter se differant assentator et amicus. 230
49. Sperat infestis, metuit secundis — Alteram sortem bene praeparatum — Pectus. Hor. carm. II. 10, 13. 231
50. Quae in vitae genere deligendo observanda sint. 232

I. Einleitung.

§ 1. Worin liegt die Schwierigkeit des Lateinschreibens?

Ein Thema in lateinischer Sprache zu entwickeln erscheint dem Anfänger als eine überaus schwierige Sache. Erfordert es doch schon eine nicht geringe Geschicklichkeit und Uebung, in seiner Muttersprache sich klar und angemessen auszudrücken; um wie schwieriger muss es da sein, seine Gedanken und Empfindungen in einer fremden und noch dazu todten Sprache zu entwickeln! Allein es genügt, die Schwierigkeiten, die sich dem Schreibenden entgegenstellen, näher ins Auge zu fassen, um die Furcht vor denselben zu beseitigen oder sie we-

---

I. Praefatio.

§ 1. Qua in re difficultas latine scribendi posita sit.

De re aliqua proposita latine scribere tironi videtur res esse perquam difficilis. Nimirum haud parva opus est sollertia et exercitatione, ut vernacula lingua perspicue apteque scribas; quanto difficilius putandum est aliena lingua eaque intermortua ea, quae sentis et cogitas, enarrare et exponere! Sed mehercule, ut difficultatis metus tollatur aut minuatur, satis est ea, quae scribenti

nigstens zu mindern. Worin bestehen diese denn? Sie können liegen

1) in dem Gegenstande selbst, der behandelt werden soll. Und in der That, es ist oft nicht leicht, ihn so zu kennen, dass man im Stande ist, sich darüber richtig, verständlich und passend auszudrücken. Aber dies ist eine Schwierigkeit, welche alle Aufsätze mit einander gemein haben, mag man sich nun des deutschen oder des lateinischen oder irgend eines anderen Idioms bedienen. Ueber die Auffindung und Sammlung des Gedankenstoffes bedarf es also an dieser Stelle keiner weitläufigen Erörterung. Es wird hinreichen, daran zu erinnern, dass ein sorgfältiges Nachdenken und ein genaues Nachlesen von Schriften, die ähnliche Stoffe behandeln, erforderlich ist, um sich diejenige Kenntniss des Gegenstandes zu verschaffen, die zu einer passenden Entwickelung desselben eine unerlässliche Vorbedingung ist. Warum sollte nun

---

obstant, paullo accuratius intueri. Nam quaenam sunt istae difficultates? Positae esse possunt

1) in re ipsa, de qua scribendum est. Atque profecto haud facile esse solet, rem ita perspicere, ut aliis eam recte, dilucide apteque explicare possis. Sed haec difficultas communis est omnium commentationum, sive germanica sive latina sive alia quacunque lingua uteris. Quare hoc loco non est, quod de inventione, quae dicitur, h. e. de inveniendis et colligendis sententiis, pluribus disseram. Hoc unum satis habeo monere, diligentem meditationem accuratamque librorum similia continentium lectionem adhibendam esse, ut eam rei ipsius cognitionem consequaris, quae ad aptam rei explicationem necessario

aber ein Schüler sich nicht getrauen, das für den lateinischen Aufsatz zu leisten, was er für den in seiner Muttersprache abzufassenden Aufsatz schon längst zu leisten sich gewöhnt hat? Er wird es um so eher können, als einsichtsvolle und geschickte Lehrer einerseits von tiefer eingehenden Behandlungen entlegener Gegenstände Abstand nehmen und nur solche Themata zu stellen pflegen, die der Urtheilskraft und den Fähigkeiten der Schüler angemessen sind, und andererseits, wenn sie fürchten müssen, dass das Thema falsch aufgefasst werden könnte, es nicht versäumen werden, den zu behandelnden Stoff genauer zu bezeichnen.

2) Wenn nun die Entwickelung des lateinisch zu behandelnden Gegenstandes selbst nicht nur nicht schwieriger, sondern meist sogar leichter ist, als bei Aufsätzen in der Muttersprache, dann liegt vielleicht jene Schwierig-

---

requiritur. Ceterum quid causae sit, cur discipuli diffidant se latine scripturos id efficere posse, quod in commentationibus vernacula lingua componendis iam diu facere assueverunt, equidem non video; immo eo facilius id poterunt, quod prudentes ac periti praeceptores et omittunt subtiliores de rebus reconditis dissertationes eaque proponunt themata, quae ad discentium iudicia et facultates accommodata sunt, et, si metuendum eis erit, ne illa a discipulis perperam intellegantur, res tractandas ipsi accuratius definient.

2) Quodsi rei ipsius latine tractandae explicatio non modo non difficilior, sed plerumque etiam facilior est, quam earum, quae vernacula lingua explicandae sunt, fortasse dices difficultatem illam, de qua tirones con-

keit, über die Anfänger klagen, in der Behandlung des Stoffes d. h. in der Disposition. Aber auch diese ist nicht so erheblich als es scheinen mag, da lateinische Aufsätze, wie sie von Schülern verlangt werden, in der Regel über einfache Gegenstände handeln. Denn es sollen entweder Inhaltsangaben gelesener Schriften angefertigt oder geschichtliche Themata, z. B. das Leben und der Charakter einzelner hervortretender Männer oder Völker behandelt werden, Gegenstände, bei denen nur einigermassen geübte Schüler die rechte Gedankenordnung leicht finden werden; oder, wenn sie über Sprüchwörter oder Aussprüche berühmter Männer schreiben sollen, so wird der Lehrer ihnen den Weg, den sie einzuschlagen haben, angeben, d. h. die wichtigsten Punkte der Abhandlung vorher mit ihnen erörtern und den Gang der Darstellung in allgemeinen Umrissen vorzeichnen. Zudem

---

queruntur, positam esse in tractatione argumenti, i. e. in descriptione eius sive dispositione, quae dicitur. Sed ne haec quidem difficultas tanti momenti est, quanti potest videri, quoniam latinae illae commentationes versari solent in rebus simplicibus. Nam aut argumenta librorum lectorum explicandae sunt aut res gestae exponendae, velut vitae moresque singulorum virorum aut populorum insignium, quibus in rebus discipuli vel mediocriter exercitati rectum sententiarum ordinem facile invenient; aut, si quando de proverbiis vel de sententiis illustrium virorum scribendum eis erit, praeceptor viam, qua procedendum sit, monstrabit i. e. gravissimas disputationis partes antea eis explicabit et rerum tractandarum ordinem extremis quasi lineis circumscribet. Accedit quod praeter

wird er in der Regel nur eine Erklärung des Sinnes und das Vorführen von Beispielen von den Schülern verlangen, letztere aber so ausführlich entwickeln lassen, dass die Darstellung derselben den grössten Theil der Arbeit ausmacht. Demnach dürfte auch eine eingehende Behandlung der Dispositionslehre an dieser Stelle überflüssig sein.

3) Es bleibt somit die dritte Schwierigkeit bei der Abfassung lateinischer Aufsätze übrig, nämlich die Sprache. Und in der That, es lässt sich nicht leugnen, dass es einer grösseren Kenntniss nicht nur der Grammatik und Stilistik, sondern auch der lateinischen Phraseologie bedarf, damit ein leidlicher Aufsatz zu Stande kommt. Denn nichts pflegt den Schüler beim Schreiben mehr aufzuhalten, als einerseits die ängstliche Rücksicht auf grammatische Richtigkeit und andererseits die mangel-

---

sententiarum explicationes et recordationes exemplorum nihil fere a discipulis postulabit, haec autem tam copiose exponi iubebit, ut in enarrandis iis maxima meditationis pars consummetur. Quae cum ita sint, etiam de dispositione, quae tradi solent, hoc loco uberius explanare supervacaneum erit.

3) Restat igitur, ut de tertia difficultate dicam, quae latine scribentibus parari solet ipsa oratione. Atque profecto negari non potest, paullo maiorem non solum grammaticae eorumque, quae de latine dicendi elegantia praecipiuntur, sed etiam vocabulorum locutionumque scientiam requiri, ut dissertatio evadat probabilis. Nihil enim magis discipulum scribentem retardare solet, quam vel anxia grammaticorum praeceptorum observatio vel ver-

hafte Kenntniss der Ausdrücke und Phrasen; diese sind Schuld, dass so vielen Schülern die Uebungen im Lateinschreiben lästig werden; können sie doch, ich will nicht sagen einen ganzen Satz, sondern oft nicht einmal einen Theil desselben zu Stande bringen ohne mühsames Aufschlagen der Lexika und beständiges Zuratheziehen der Grammatik. Aber fürs Erste muss man bedenken, dass lateinische Aufsätze nur solchen Schülern aufgegeben werden, welche die grammatischen Regeln hinreichend kennen oder wenigstens kennen können, und dass von den ersten Jahren des lateinischen Unterrichts an auf Aneignung und fortgesetzte Vermehrung eines Schatzes von Vokabeln bei den Schülern hingearbeitet wird. Sodann ist die beste Lehrerin im Sprechen und Schreiben die Uebung selbst; bei fleissiger Uebung wächst von Tag zu Tag die Fertigkeit im Gebrauch der Sprache und mindert sich die Mühe der Arbeit.

---

borum et locutionum ignorantia; hae sunt causae, cur tam multi discipuli has latine scribendi exercitationes moleste ferant; nimirum non dicam totam sententiam, sed saepe ne partem quidem eius absolvere possunt, quin lexica operose pervolvant aut grammaticorum libros pedetentim consulant. Sed primum illud considerandum est latine de re aliqua scribendi officium iniungi non solere nisi iis discipulis, qui grammaticae praecepta satis cognita habeant vel habere possint, atque a primis latinae institutionis annis id agi, ut quam plurimorum vocabulorum scientia a discipulis paretur et in dies augeatur. Deinde optima dicendi et scribendi magistra est exercitatio ipsa; qua diligenter instituta crescit in dies latine scribendi facultas ac minuitur iste labor et molestia.

Ausserdem gibt es hierüber gewisse Vorschriften, deren Befolgung die schwierige Arbeit einigermassen zu erleichtern im Stande ist. Sie sollen im Folgenden Gegenstand einer kurzen Erörterung sein.

§. 2. Allgemeine Regeln.

Um zunächst vor der Behandlung einzelner specieller Punkte im Allgemeinen über das bei der Abfassung lateinischer Aufsätze einzuschlagende Verfahren zu sprechen, so ist vor Allem der Rath zu beachten, dass der Schüler sich daran gewöhne, sofort beim ersten Entwurf der Aufsätze sich der lateinischen Sprache zu bedienen. Denn das zuerst in der Muttersprache Ausgearbeitete später ins Lateinische zu übersetzen, ist sehr schwer, da die Sprachen ihrem ganzen Wesen nach so verschieden sind, dass bei der Uebertragung der Stil leicht ein unlateinisches Gepräge erhält.

Praeterea sunt etiam quaedam de hac re praecepta, quae si secutus eris, in difficili illo labore aliquantum te adjutum iri senties. Haec nunc paucis attingam.

§. 2. Quae omnino in scribendis dissertationibus observanda sint.

Ut, priusquam ad singula transeam, in universum de ratione scribendi, quam a tironibus observatam velim, pauca dicam, illud imprimis monendum videtur, ut assuescat adolescens in adumbrandis commentationibus illico latino sermone uti. Nam ea, quae primo vernacula lingua expressa sunt, postea latine vertere, difficillimum est, quoniam tam diversae sunt linguarum naturae, ut metuendum sit, ne interpretatione oratio evadat barbara et vitiosa.

Damit man aber beim Schreiben selbst nicht aufgehalten wird, ist es sehr nützlich, das, was man schreiben will, zunächst ohne allzu ängstliche Rücksicht auf Grammatik und Ausdruck zu Papier zu bringen und das Hauptaugenmerk auf den Gedankeninhalt zu richten; dadurch wird der Zusammenhang am besten gewahrt und erscheint der Stil wie aus einem Guss, nicht zerhackt, schwerfällig und gezwungen. Ist man dann mit dem ersten Entwurfe fertig, so wird man um so grössere Sorgfalt auf das Verbessern und Ausfeilen verwenden können und mit Hülfe des Lexikons und der Grammatik Fehlerhaftes beseitigen, Zweifelhaftes und Verdächtiges mit Besserem vertauschen, kurz für Reinheit und Geschmack der Darstellung sorgen. Auf diese Weise lässt sich hoffen, dass man im Lateinschreiben solche Fortschritte macht, dass die Form der Darstellung bald keine allzugrosse Schwierigkeit mehr bereitet.

Ne autem in ipso scribendo retarderis, utilissimum est, ea, quae scripturus es, non nimis anxie grammaticam et vocabula respicientem chartis illinere, inprimis ipsarum sententiarum ratione habita, ut commode facileque procedat oratio totumque dicendi genus sit fusum, non concisum, impeditum, contortum. Iam vero prima descriptione facta eo diligentiorem emendandae et expoliendae orationi curam adhibebis atque lexicorum grammaticarumque ope vitiosa tolles, dubia et suspecta melioribus mutabis, denique integritati atque elegantiae sermonis consules. Id si feceris, spes est te ita progressurum esse in scribendo, ut mox orationis forma non nimiam tibi difficultatem praebeat.

Auch darauf hat man genau zu achten, ob die Sprache von einer Farbe ist; es gilt gleich, ob man sich an die von Cicero und Livius, oder an die von Tacitus und Quintilian bindet; aber einen Zeitraum muss man sich wählen; sonst entsteht ein buntschäckiges Wesen, welches den ordentlichen Philologen ebenso ärgert, als ob man Deutsch von 1650 und 1800 unter einander mengte. Man lese daher jenen Schriftsteller, den man sich zum Muster genommen, oder neuere Lateiner, die ihn glücklich nachgeahmt haben, mit Aufmerksamkeit, besonders vor dem Beginne der eigenen Arbeit; dann wird man an seine Schreibweise sich gewöhnen, seine Sprache wird dann annäherungsweise die Sprache der eigenen Arbeit werden, und man wird nicht leicht in den Fehler der Buntschäckigkeit fallen.

Endlich suche man der Kunst habhaft zu werden,

Atque etiam illud summa cum diligentia considerandum est, num ea, quae scribis, unum referant colorem; utrum Ciceronem vel Livium, an Tacitum vel Quintilianum sequaris, non multum refert, modo unum aliquod spatium tibi eligas istamque effugias varietatem, cuius iustum philologum non minus taedet, quam si quis germanice loquens saeculi sexti decimi et octavi genera confundat. Itaque illum scriptorem, quem ad imitandum tibi proposueris, aliosque recentioris aetatis, qui eum bene sunt imitati, diligenter lege, inprimis priusquam ipse scribere incipies; tum illius scribendi rationi assuefactus ad eius similitudinem propius accedes nec facile in illud vitium incides, ut oratio tua varii sit coloris.

Postremo illud assequere, quomodo singulas sen-

die Sätze und die einzelnen Theile des Aufsatzes in der rechten Weise mit einander zu verbinden, eine Kunst, ohne die alles angebliche Latein eine Marter für den Leser ist. Denn nichts trägt mehr zur Deutlichkeit und Klarheit der Darstellung bei, als wenn man dafür sorgt, dass Alles wohl zusammenhängt und Eins aus dem Anderen folgt. Man gewöhne sich also daran, damit der Zusammenhang der Gedanken auch äusserlich in die Erscheinung tritt, jene Verbindungsmittel, an denen die alten Sprachen so reich sind, überall anzuwenden und nicht leicht einen Satz zu beginnen ohne verbindende Partikeln oder solche Wendungen, die ihre Stelle vertreten. Auf diese Weise wird man am Besten den Fehler der Verworrenheit und Zusammenhangslosigkeit, den schlimmsten, der sich denken lässt, vermeiden.

---

tentias vel commentationis partes apte inter se coniungas, qua arte si quid caret, quod fertur latinum esse, legentem paene enecat. Nihil enim magis pertinet ad orationis subtilitatem et perspicuitatem, quam si operam dabis, ut omnia bene inter se cohaereant atque ex se consequantur. Itaque consuescat discipulus, ut sententiarum nexus appareat atque emineat, etiam plurimis illis orationis vinculis, quibus veterum linguae tantopere abundant, omnibus locis uti nec facile novum inchoare enuntiatum sine particulis vel iis locutionibus, quae earum vice funguntur. Quod si feceris, vitium illud, quo vix maius ullum cogitari potest, facillime vitabis, ut oratio sit interrupta, dissipata, confusa.

Da dieser Punkt von besonderer Wichtigkeit ist, so wird es nicht unpassend sein, die bei den Lateinern üblichen Verbindungs- und Uebergangsformen hier übersichtlich zusammenzustellen*).

§ 3. Die verschiedenen Verbindungs- und Uebergangsformen.

A. Fürs Erste sei hier die Rede von den Formen der Verbindung ganzer Theile des Aufsatzes.

Von der Einleitung zur Ausführung ist ein doppelter Uebergang möglich:

a. Wenn nur eine einfache propositio (Angabe des Thema's), keine Eintheilung, angegeben ist und das

*) Das folgende ist zum grössten Theil aus dem vortrefflichen Buche von Dr. M. Seyffert entlehnt: „Scholae latinae" Leipzig, 1855, auf welches strebsamere Schüler hiermit verwiesen werden.

Qui locus cum maximi sit momenti, haud alienum esse puto, coniunctionum et transitionum formas, quibus veteres uti solebant, brevi in conspectu ponere*).

§ 3. De diversis coniungendi et transeundi formis.

At primum quidem de iis formis dicendum videtur, quibus totae dissertationis partes connectuntur.

A prooemio ad ipsam disputationem dupplici modo transiri potest:

a. Si simpliciter propositio sine partitione in prooemio commemorata est et magna est rerum tractandarum

*) Quae sequuntur, maxima ex parte sumpta sunt ex praeclaro M. Seyfferti, viri doctissimi, libro, qui inscribitur: „Scholae latinae", quem discipulis diligentioribus hoc loco commendatum velim.

Thema einen reichhaltigen Stoff bietet, so kann eine sogenannte dubitatio vorausgeschickt werden z. B.: *Unde igitur ordiar?* oder: *Unde igitur potissimum ordiar? — Unde igitur potius incipiam, quam ab* sqq.? oder es kann eine Form der Aufforderung gewählt werden: *Ergo hinc capiamus exordium — Ordiamur, si placet. — Quamobrem id primum videamus, si placet,* oder die eines Absichtssatzes: *Atque, ut a — exordiar, — atque ut inde oratio mea proficiscatur, unde haec omnis causa ducitur — atque ut facilius intellegere possitis.*

b. Wenn aber in der Einleitung bereits die Eintheilung des zu behandelnden Stoffes gegeben ist, so sind besonders die Partikeln: *Ac* oder *ac primum — ac primum quidem — igitur* zu merken.

Die Formen zu den übrigen Haupttheilen der Rede sind folgende:

Venio — veniamus ad — nunc venio — atque ut veniu-

---

ubertas, dubitatio, quae dicitur, praemitti potest, velut: *Unde igitur ordiar?* vel: *Unde igitur potissimum ordiar? — Unde igitur potius incipiam, quam ab* — sqq.? vel adhortationis forma adhibetur: *Ergo hinc capiamus exordium — Ordiamur, si placet* — vel finalis sententiae: *Atque ut a — exordiar, — atque ut inde oratio mea proficiscatur, unde haec omnis causa ducitur — atque ut facilius intellegere possitis.*

b. Sin autem in prooemio iam partitio rerum exponendarum facta est, hae potissimum particulae observandae sunt: *Ac* vel *ac primum — ac primum quidem — igitur.*

Formae, quibus ad ceteras dissertationis partes transitur, sunt hae fere:

Venio — veniamus ad — nunc venio — atque ut veniamus —

mus — nunc dicamus de — deinceps, ut erat propositum, dicatur de — deinceps dicendum est — sequitur (entweder mit dem Nominativ des Wortes, welches den Inhalt des neuen Theiles bildet, oder mit der Partikel *ut*) — *proximus est locus* (mit einem erklärenden Genitiv) — *alter erat locus cautionis — tertium est propositum ut . . — id quod in quarto loco quaerendi posueramus — restat, reliquum est, ut.*

Anmerkung: Zu vermeiden sind also hier die Partikeln: *deinde, tum, denique.*

B. Fragen wir zweitens, wie die einzelnen Gedanken desselben Punktes zu verknüpfen sind, so geschieht dies entweder durch einfache Konjunktionen oder durch gewisse rhetorische Uebergangsformen.

Die hier in Betracht kommenden Konjunktionen sind folgende:

---

nunc dicamus de — deinceps, ut erat propositum, dicatur de — deinceps dicendum est — sequitur (aut cum nominativo eius vocabuli, quod novae partis argumentum complectitur, aut cum particula *ut*) — *proximus est locus* (cum genitivo explicativo) — *alter erat locus cautionis — tertium est propositum, ut . . — id quod in quarto loco quaerendi posueramus — restat, reliquum est, ut.*

Nota: Vitandae igitur sunt hoc loco particulae: *deinde, tum, denique.*

B. Iam si quaerimus, quomodo singulae eiusdem loci sententiae inter se coniungendae sint, fieri id potest aut simplicibus particulis aut rhetoricis quibusdam transitus formis.

Quae maxime huc pertinent coniunctiones sunt hae:

a. verbindende: *ac* (*atque*), *que*, *et*. —

b. aufzählende: *iam*, *praeterea* (*adde* oder *accedit*), *etiam*.

c. entgegensetzende: *sed*, *autem*, *vero*, *at*.

d. begründende: *nam* (*namque*), *enim* (*etenim*).

e. folgernde: *ergo*, *igitur*, *itaque*.

Rhetorische Uebergangsformen sind:

a. *Age*, *agedum*, mit dem Imperativ oder dem auffordernden Konjunktiv, dient dazu, die Aufmerksamkeit auf das Folgende zu spannen.

b. *Quid?* geht der eigentlichen Frage voraus und will das Neue nicht blos in seiner Wichtigkeit kenntlich machen, sondern zugleich den Leser oder Hörer bestürmen und das Zugeständniss erzwingen; der Hauptbegriff des Satzes, gleichviel ob ein einzelnes Substantiv oder

---

a. copulativae: *ac* (*atque*), *que*, *et*.

b. adnumerantes: *iam*, *praeterea* (*adde vel accedit*), *etiam*.

c. adversativae: *sed*, *autem*, *vero*, *at*.

d. causales: *nam* (*namque*), *enim* (*etenim*).

e. consecutivae: *ergo*, *igitur*, *itaque*.

Rhetoricae transitiones sunt hae:

a. *Age*, *agedum*, cum imperativo vel coniunctivo adhortativo, inservit animo ad ea, quae sequuntur, intendendo.

b. *Quid?* praecedit ipsi interrogationi eamque vim habet, ut non solum novae rei gravitatem efferat, sed etiam audientis vel legentis animum quasi oppugnet atque ad concedendum cogat; statim subsequi solet id, in quo vis sententiae posita est, sive substantivum singulare

ein ganzer Satz, schliesst sich unmittelbar an *quid?* an. — Besonders zu merken sind *quid? quod* und *quid si*, mit denen neue und stärkere Argumente eingeführt werden.

c. *Quid dicam de —? quid commemorem —?* mit denen angedeutet wird, dass der Sprechende die der Sache angemessene Form des Ausdrucks nicht finden könne. Verschieden davon ist: *quid loquar de . . .?* es ist unnöthig davon zu sprechen, weil es sich von selbst versteht.

d. *Ecce* wird gleichfalls zur Aufzählung von Beispielen oder Argumenten gebraucht, um die Betrachtung auf etwas namentlich Ueberraschendes und Unerwartetes zu lenken, häufig mit' *sed* oder *autem*. Es kann entweder der Nominativ oder ein ganzer Satz folgen.

Schliesslich mögen hier einige Formen der eigentlich sogenannten transitio folgen, deren Eigenthümlichkeit

---

sive tota enuntiatio. — Inprimis observandae sunt formulae: *quid? quod* et *quid si*, quibus formulis nova et graviora argumenta inducuntur.

c) *quid dicam de —? quid commemorem —?* his formulis significatis, qui dicit, sibi ad id, quod dicturus sit, verba rei accommodata deesse. Diversum est prorsus: *quid loquar de . . .?* opus non est de ea re loqui, quoniam per se patet.

d) *ecce* item inservit exemplis vel argumentis enumerandis, sed ita, ut animus ad rem plane improvisam et inopinatam advertatur, saepe cum particula: *autem* vel *sed*. Sequi potest aut nominativus substantivi aut totum enuntiatum.

Restat, ut nonnullas formas propriae, quae dicitur,

darin besteht, dass die propositio des neuen Theiles mit der Recapitulation des Vorhergehenden verbunden ist, beide aber kurz sind (vgl. Auct. ad Herenn. IV, 26, 35.)

1) Einfache Participialkonstruktionen z. B. *Exposito(is), cognito(is) igitur* sqq. oder Wendungen, wie:

2) *Dixi de — nunc dicam* oder *videtis, habetis, audivistis, cognovistis — convertite nunc animos* oder ähnliche Wendungen:

3) *Atque haec quidem hactenus* oder *atque haec quidem de —.*

4) *Quoniam* entsprechend unserm „nachdem", „nachdem so" (nicht postquam) z. B. quoniam de genere belli dixi, nunc de magnitudine pauca dicam.

5) *Satis mihi multa verba fecisse videor — restat ut —* oder: *satis dictum esse arbitror — deinceps, ut erat propositum, de — dicatur.*

---

transitionis addam, quam Auct. ad Herenn. IV, 26, 35 sic definit: quae ostendit breviter, quid dictum sit, et proponit item brevi, quid consequatur.

1) Adhiberi potest simplex participiorum constructio, velut: *Exposito (is), cognito (is) igitur* sqq. vel huiusmodi formae:

2) *Dixi de — nunc dicam* vel *videtis, habetis, audivistis, cognovistis — convertite nunc animos* vel similia.

3) *Atque haec quidem hactenus* vel *atque haec quidem de —.*

4) *Quoniam*, quod respondet germanicae particulae: „nachdem", „nachdem so" (non: postquam) velut: quoniam de genere belli dixi, nunc de magnitudine pauca dicam.

5) *Satis mihi multa verba fecisse videor — restat ut —*, vel *satis dictum esse arbitror — deinceps, ut erat propositum, de — dicatur.*

6) *Atque ut — sic, nec vero modo (solum), sed etiam, et — et, cum — tum, nec — nec.*

7) *Loquor de — quid? — nonne —?, sed quid commemoro* oder *profero?*

8) Das Gesagte wird mit einem Prädikat zusammengefasst und diesem dann in ähnlicher Weise das Neue entgegengestellt z. B. *Est haec divina atque incredibilis* vis imperatoris. *Quid ceterae*, quas paullo ante commemoravi, quantae et quam multae sunt! — *Sed haec et cetera et a Graecis. — Haec admirabilia, sed prodigii simile est, quod dicam. — Sed haec leviora; illa vero gravia atque magna.*

Andere Uebergangsformeln sind in dem folgenden Paragraphen, der von der Chrie handelt, zusammengestellt.

---

6) *Atque ut — sic, nec vero modo (solum), sed etiam, et — et, cum — tum, nec — nec.*

7) *Loquor de — quid? — nonne —?, sed quid commemoro* vel *profero?*

8) Ea quae dicta sunt, praedicato aliquo comprehenduntur eisque simili modo novum opponitur. Sic fere: *Est haec divina atque incredibilis* vis imperatoris. *Quid ceterae*, quas paullo ante commemoravi, quantae et quam multae sunt! — *Sed haec et cetera et a Graecis. — Haec admirabilia, sed prodigii simile est, quod dicam. — Sed haec leviora; illa vero gravia atque magna.*

Ceteras transitionis formas in sequenti capite, in quo de chria agetur, in unum compositas invenies.

§ 4. Die Chrie.

Für die Kenntniss alles dessen, was zum oratorischen Rüstzeug gehört, gewährt diejenige Form der Darstellung sehr nützliche Uebungen, die von den Alten Chrie (*χρεία*, Nutzanwendung) genannt wird. Im Folgenden sollen zunächst die einzelnen Theile derselben, dann die verschiedenen Wendungen und Uebergänge, die zur Verknüpfung derselben dienen, vorgeführt werden.

I. Die einzelnen Theile der Chrie.

Sie sind enthalten in dem alten Verse:

Quis, quid, cur, contra, simile et paradigmata, testes.

1) Einleitung, welche mit einem Lobe derjenigen Person beginnt, von welcher der Ausspruch herrührt.

---

§ 4. De Chria.

Ad cognoscenda omnia ea, quae ad oratorium quasi apparatum pertinent, utilissimas praebet exercitationes illa disputationis forma, quae chria (*χρεία*, usus) a veteribus appellatur. De qua ita hoc loco disputabitur, ut primum, quae sint eius singulae partes, describam, deinde, quae eis coniungendis inserviunt, locutiones et transitiones afferam.

I. Singulae chriae partes

continentur hoc vetusto versiculo:

Quis, quid, cur, contra, simile et paradigmata, testes.

1) Exordium, quod proficiscitur a laudatione eius, cuius est dictum illud, de quo agetur. Quae laudatio

Dieses Lob muss kurz sein und nur Solches berühren, was zu dem Thema in möglichst naher Beziehung steht.

2) Umschreibung und Erläuterung des Thema's, d. h. Entwickelung des inneren Kernes und Gehaltes der Sache; manchmal genügt eine kurze Umschreibung, oft muss der Sinn sprachlich und logisch mit Erwägung aller sachlichen, zeitlichen, örtlichen, persönlichen Verhältnisse ermittelt und festgestellt werden.

3) Begründung. Es sind die sogenannten inneren Gründe anzuführen, die zum Beweise der Wahrheit des Satzes dienen.

4) Gegentheil; dieses kann entweder kontradiktorisch sein, oder sonstiges enthalten, was ein Gegner anführen könnte.

5) Gleichniss, ein in seinen Theilen durchge-

---

brevis sit eaque tantummodo attingat, quae cum re proposita arctissime cohaerent.

2) Expositio h. e. ipsius rei explicatio, ut quid sit illud, de quo dicetur, recte cognoscatur; nonnumquam brevis sufficit paraphrasis, saepe vis sententiae ad etymologiae et dialecticae leges circumspectis omnibus rebus, quae ad tempus, locum, ingenium auctoris pertinent, accuratius exploranda est.

3) Ratio (argumentatio). Afferendae sunt internae, quae dicuntur, rationes, quibus verum esse illud, quod propositum est, demonstretur.

4) Contrarium, quod potest esse aut adversum i. e. ex eodem genere contrarium (quod contradictorium dici solet) aut alia, quibus adversarius bene uti possit.

5) Simile i. e. imago rei per omnes partes adum-

führtes Bild des Gegenstandes. Die Auffindung desselben ist leicht, wenn man sich alle Erscheinungen der lebenden und leblosen Welt, das gesammte Menschen- und Naturleben, die Künste, Institutionen und Gebräuche zu vergegenwärtigen und darin eine Aehnlichkeit zu finden versteht.

6) Beispiel, welches die Wahrheit des allgemeinen Satzes durch Fakta begründet und nicht nur aus der Geschichte, sondern auch aus der Mythologie genommen werden kann.

7) Zeugnisse, das heisst, kurze, geistreiche, pikante Aeusserungen historischer Personen (Dichterstellen, Sinnsprüche, Sprüchwörter, Gesetze und Einrichtungen).

8) Schluss; dieser ist gewöhnlich eine summarische Wiederholung und Zusammenfassung der Hauptpunkte, an welche sich eine Empfehlung oder Ermahnung anschliesst.

---

brata. Inventio similium facilis erit, si quis omnes res animantes et inanimes, totam hominum vitam et naturam, artes, instituta, consuetudines ponere ante oculus possit et ex his aliquam venari similitudinem.

6) Exempla, quae generalem sententiam factis confirmant, non solum ex populorum annalibus, sed etiam ex historia fabulari desumpta.

7) Testimonia h. e. breviter et facete et acute dictorum cum certi auctoris nomine propositio (poetarum loci, sententiae, dicta, proverbia, leges, instituta).

8) Conclusio, quae solet esse brevis gravissimarum rerum repetitio sive collectio, quam commendatio vel adhortatio sequitur.

II. Die Uebergänge zu den einzelnen Theilen.

1) Von der Einleitung zur Umschreibung, wenn das Thema eine Sentenz oder ein Dictum ist:

Quod quale sit, paucis, si placet, videamus. —

Quod quid sibi velit, facile est ad intellegendum (manifestum est, in promptu est, quis prudens non intellegit?).

Cuius sententiae (dicti, vocis, responsi) vis (quae sit vis), ut error tollatur, brevi sic definiri potest.

Qua sententia quid (sibi) voluerit (quid significaverit) poeta (philosophus), ut planius intellegatur (ut facilius perspiciatis), quod ille brevius angustiusque (minus explanate, paulo obscurius) dixit (pronuntiavit), nobis uberius aliquanto fusiusque (pluribus) exponere (demonstrare) liceat oder kürzer: *quod ille pressius angustiusque, nobis uberius paulo ac fusius facere liceat.*

II. Singularum partium transitiones.

1) Ab exordio ad expositionem, si de sententia vel dicto aliquo scribendum est, sic transiri potest:

Quod quale sit, paucis, si placet, videamus.

Quod quid sibi velit, facile est ad intellegendum (manifestum est, in promptu est, quis prudens non intellegit?).

Cuius sententiae (dicti, vocis, responsi) vis (quae sit vis), ut error tollatur, brevi sic definiri potest.

Qua sententia quid (sibi) voluerit (quid significaverit) poeta (philosophus), ut planius intellegatur (ut facilius perspiciatis), quod ille brevius angustiusque (minus explanate, paulo obscurius) dixit (pronuntiavit), nobis uberius aliquanto fusiusque (pluribus) exponere (demonstrare) liceat vel brevius: *quod ille pressius angustiusque, nobis uberius paulo ac fusius facere liceat.*

Quae sententia quid declaret, quorsum spectet (quo referenda sit) oder *quid iubeat (praecipiat), facilius intellegetur, si —*

a) *quae sit vis —, ante explicaverimus* oder *quid sit —. ante constituerimus.*

b) *locum ipsum, ex quo sumpta (petita, repetita) sunt haec verba, diligentius paulo consideraverimus.*

c) *quid secutus (quibus rationibus ductus) esse videatur is, a quo sunt haec profecta, paulo altius repetiverimus.*

Quod dictum cum explicare nobis propositum sit, primum quid sibi velint illa verba, age (age sis) consideremus.

Quo responso quid dixerit ille si quaerimus, non errare nobis videmur, cum censemus — (facile adducor ut putem).

Ist eine bemerkenswerthe Handlung Gegenstand der Darstellung, so kann man folgende Formen anwenden:

Quae sententia quid declaret, quorsum spectet (quo referenda sit) vel sic: *quid iubeat (praecipiat), facilius intellegetur, si —*

a) *quae sit vis —, ante explicaverimus* vel *quid sit —, ante constituerimus.*

b) *locum ipsum, ex quo sumpta (petita, repetita) sunt haec verba, diligentius paulo consideraverimus.*

c) *quid secutus (quibus rationibus ductus) esse videatur is, a quo sunt haec profecta, paulo altius repetiverimus.*

Quod dictum cum explicare nobis propositum sit, primum quid sibi velint illa verba, age (age sis) consideremus.

Quo responso quid dixerit ille si quaerimus, non errare nobis videmur, cum censemus — (facile adducor, ut putem —).

Si de insigni aliquo facto agitur, his formis transitus muniri potest.

Quod quale sit —, cuius facti quae ratio sit —, qua in re quid secutus esse videatur —, quod quibus de causis fecisse videatur — quod quomodo factum esse videatur (quomodo evenerit) — mit einem Nachsatz, wie deren oben mehrere verzeichnet sind.

2) Von der Umschreibung zur Begründung.

Bei kürzerer Behandlung des Gegenstandes kann man einfach sagen:

Et recte. Et recte (iure) quidem. Et vero (sane, certe, profecto) sapientissime (prudenter). Et iure (merito, optime). Nec (neque id) immerito. Es folgt dann die Begründung mit *nam;* oder:

Regalis sane et digna — sententia. Praeclarum responsum et docto homine dignum. Magnifica vero vox et magno viro digna. O dictum sapientiae plenum, o vocem vel Christiano ho-

---

Quod quale sit —, cuius facti quae ratio sit —, qua in re quid secutus esse videatur —, quod quibus de causis fecisse videatur —, quod quomodo factum esse videatur (quomodo evenerit) — sequitur apodosis aliqua, quales nonnullae supra perscriptae sunt.

2) Ab expositione ad rationem.

Si brevius de re proposita scripturus es, simpliciter sic dicere poteris:

Et recte. Et recte (iure) quidem. Et vero (sane, certe, profecto) sapientissime (prudenter). Et iure (merito, optime). Nec (neque id) immerito. Sequitur confirmatio ipsa cum particula *nam;* vel:

Regalis sane et digna — sententia. Praeclarum responsum et docto homine dignum. Magnifica vero vox et magno viro digna. O dictum sapientiae plenum, o vocem vel Christiano ho-

mine dignam! — O praeclaram et admirandam hominis sapientissimi vocem! —

Quid de hac sententia dici potest praeclarius? Quam sententiam (quod) quis est quin assensu suo plane comprobet? oder Aehnliches.

Bei ausführlicherer Behandlung:

Causa quae sit videtis; nunc qua ratione quibusque argumentis ea confirmetur (probari possit, nitatur), consideremus.

Habetis ipsius dicti (facti) sententiam (quoniam sententiam dicti (facti) exposuimus), nunc (age) quibus rationibus ea nitatur, videamus.

Quod quam vere (recte, quo iure) dictum sit, paucis, si placet (videtur), explicemus.

Atque id (id quod) ita se habere (verum esse) cur existime-

---

mine dignam! — O praeclaram et admirandam hominis sapientissimi vocem! —

Quid de hac sententia dici potest praeclarius? Quam sententiam (quod) quis est quin assensu suo plane comprobet? vel similia.

Sin uberius fusiusque:

Causa quae sit videtis; nunc qua ratione quibusque argumentis ea confirmetur (probari possit, nitatur), consideremus.

Habetis ipsius dicti (facti) sententiam (quoniam sententiam dicti (facti) exposuimus), nunc (age) quibus rationibus ea nitatur, videamus.

Quod quam vere (recte, quo iure) dictum sit, paucis, si placet (videtur), explicemus.

Atque id (id quod) ita se habere (verum esse) cur existime-

mus, causa non in obscuro est (*non latet, aperta est*, oder: *non ita longa demonstratione opus esse videtur.*

3) Von der Begründung zum Gegentheil.

Ein Einwurf lässt sich entweder direkt anführen mit: *At, at enim, at credo — dices: fortasse dices: quaeres: dicet aliquis: quaeret aliquis: dicet quispiam: quaeret quispiam: dicet fortasse quispiam; dixerit quis: forsitan quispiam dixerit: forsitan quaeratis: occurrit illud: forsitan occurrat illud: hic quaerat quispiam: hic mihi afferunt* (*commemorant*)*: inquies:*

oder in indirekter Weise:

Sunt autem, qui dicant (*negent*)*; contradicuntur a multis haec: scio quibusdam et iis non indoctis non levissimae auctoritatis hominibus contra videri* oder:

Nec vero audiendi sunt, qui putant —: nihil igitur affe-

---

mus, causa non in obscuro est (*non latet, aperta est*) vel: *non ita longa demonstratione opus esse videtur.*

3) A ratione ad contrarium.

Contradicentis verba aut directa oratione afferri possunt hoc modo:

At, at enim, at credo — dices: fortasse dices; quaeres; dicet aliquis: quaeret aliquis: dicet quispiam: quaeret quispiam; dicet fortasse quispiam; dixerit quis; forsitan quispiam dixerit; forsitan quaeratis; occurrit illud: forsitan occurrat illud; hic quaerat quispiam; hic mihi afferunt (*commemorant*)*; inquies;*

aut obliqua:

Sunt autem, qui dicant (*negent*)*; contradicuntur a multis haec: scio quibusdam et iis non indoctis* (*non levissimae auctoritatis*) *hominibus contra videri*, vel sic:

Nec vero audiendi sunt, qui putant —: nihil igitur affe-

runt, qui —; nec vero probanda est eorum sententia; non igitur facile concedo eorum sententiae; itaque in iis est perniciosus error, qui — existimant; falluntur ergo atque errant vehementer, qui —; nam illud quidem adduci non possum ut credam —; nam quod aiunt sqq. (das Deutsche: so ist zu erwidern, fehlt hier regelmässig) oder:

An tu censes (existimas,)? An vero putas —?. An te movent verba eorum, qui —? An censemus —? An malumus eorum sententiam sequi, eos imitari, qui —; nisi forte (vero) putas —; ac ne putes —; ac ne quis forte putet —; ac ne cui forte hoc mirabile esse videatur —; ac ne quis a nobis hoc ita dici miretur — (man hüte sich hinzuzusetzen: scito oder scitote).

4) Uebergang zum Gleichniss.

Zur Verbindung dieses Theiles der Chrie mit den vorhergehenden dienen:

---

runt, qui —; nec vero probanda est eorum sententia; non igitur facile concedo eorum sententiae; itaque in eis est perniciosus error, qui — existimant; falluntur ergo atque errant vehementer, qui —; nam illud quidem adduci non possum ut credam —; nam quod aiunt sqq. (abesse solet, quod nos addere solemus: *respondeo* vel *responderi potest*) vel sic:

An tu censes (existimas) —? An vero putas —? An te movent verba eorum, qui —? An censemus —? An malumus eorum sententiam sequi, eos imitari, qui —; nisi forte (vero) putas —; ac ne putes —; ac ne quis forte putet —; ac ne cui forte hoc mirabile esse videatur —; ac ne quis a nobis hoc ita dici miretur — (cave ne addas: scito vel scitote).

4) Transitus ad simile.

Ad hanc chriae partem cum superioribus coniungendam dici potest:

Quod quidem quale sit, etiam in bestiis (in natura rerum) animadverti potest; quam similitudinem videmus (cernere possumus) in bestiis; quod idem in (picturis) usu venit; quod qui faciunt, similes sunt, ut si qui —; quod quale sit (quo iure dictum sit), exemplo a rerum natura petito demonstrare (probare) non alienum (absurdum, ineptum) fuerit; oder

Sed quid ego argumentor? quid plura disputo? ipsius naturae, optimae illius magistrae, ratio quanta sit quamque late pateat (obedientiae vis), *declarat;* eine Form, die sich auf mehrfache Weise variiren lässt.

Einfachere Formen sind:

Videsne —? videmus ne —? atque ut — ita (sic); an non —? quasi vero (civitatis) *non eadem ratio sit, quae* (totius mundi)?

Quod quidem quale sit, etiam in bestiis (in natura rerum) animadverti potest; quam similitudinem videmus (cernere possumus) in bestiis; quod idem in (picturis) usu venit; quod qui faciunt, similes sunt, ut si qui —; quod quale sit (quo iure dictum sit), exemplo a rerum natura petito demonstrare (probare) non alienum (absurdum, ineptum) fuerit; vel:

Sed quid ego argumentor? quid plura disputo? ipsius naturae, optimae illius magistrae, ratio quanta sit quamque late pateat (obedientiae vis), *declarat;* quae forma multiplici modo variari potest.

Simpliciora sunt haec:

Videsne —? videmusne —? atque ut sic (ita); an non —? quasi vero (civitatis) *non eadem ratio sit, quae* (totius mundi)?

5) Uebergang zum Beispiel.

Ausser den einfachsten Formen: ut, velut, quidem merke folgende:

Exempli causa — profero, qui —; testis est oder *declarat* (ohne weiteren Zusatz); *cuius rei vel illustrissimum exemplum est —; quod quidem cum multi, tum luculentissimo exemplo comprobavit* (*testimonio confirmavit*) —; *quod quam magnum sit, quam late pateat —; ac vera esse quae dicimus, cum ex multorum exemplis, tum ex — intellegitur.*

Talis fuit (*talem fuisse constat*); *huiusmodi, hoc animo, ex hoc genere fuit —. qui* sqq. — *quod praeclare intellexisse videtur —; non ignoravit hoc, non fugit hoc —.*

Cui non est auditum oder *cui non in mentem venit? hoc loco quis est, cui non in mentem veniat, occurrat, ante oculos ver-*

---

5) Ad exempla sic transitur:

Praeter has simplicissimas formas: ut, velut, quidem observandae sunt illae:

Exempli causa — profero, qui —; testis est vel *declarat* (sine ullo additamento); *cuius rei vel illustrissimum exemplum est —; quod quidem cum multi, tum luculentissimo exemplo comprobavit* (*testimonio confirmavit*) —; *quod quam magnum sit, quam late pateat —; ac vera esse quae diximus, cum ex multorum exemplis, tum ex — intellegitur.*

Talis fuit (*talem fuisse constat*); *huiusmodi, hoc animo, ex hoc genere fuit —, qui* sqq. — *quod praeclare intellexisse videtur —; non ignoravit hoc, non fugit hoc —.*

Cui non est auditum vel *cui non in mentem venit? hoc loco quis est, cui non in mentem veniat, occurrat, ante oculos verse-*

setur —? quod si cui forte dubium est, prodeat in medium —; ponite ante oculos vobis (in memoriam revocate, recordamini) —.

Vollere Formen sind:

Sed factis illustranda sunt summorum virorum, quae verbis subtilius disputantur.

Quod ut verum esse exemplis probemus, non est cur longe abeamus (longius repetamus).

Nec minus historia quam rerum natura verum esse illud, quod proposuimus, demonstrat.

Atque ut ea planius intellegere possitis (verum esse intellegatis) quod disputo, rem ipsam exemplis quibusdam illustrioribus demonstrabo.

Sed ne rem argumentis solum persequar, alio me convertam et exemplis quid velim demonstrare conabor.

---

tur —? quod si cui forte dubium est, prodeat in medium —; ponite ante oculos vobis (in memoriam revocate, recordamini) —.

Pleniores formae sunt hae:

Sed factis illustranda sunt summorum virorum, quae verbis subtilius disputantur.

Quod ut verum esse exemplis probemus, non est cur longe abeamus (longius repetamus).

Nec minus historia quam rerum natura verum esse illud, quod proposuimus, demonstrat.

Atque ut eo planius intellegere possitis (verum esse intellegatis) quod disputo, rem ipsam exemplis quibusdam illustrioribus demonstrabo.

Sed ne rem argumentis solum persequar, alio me convertam et exemplis quid velim demonstrare conabor.

Ac ne haec, quae disputavimus, ex meo potius sensu deprompta quam ex veritate expressa videantur, exempla nonnulla in medium proferam, quae rem vobis, de qua agitur, paene sub oculos subiiciant.

Et verum esse, quod diximus, omnium aetatum historiae satis (satis superque) declarant.

Quae res ut exemplis comprobetur (demonstretur), ponite vobis ante oculos —; liceat mihi vos admonere —; age afferamus —.

Sind der Beispiele, die angeführt werden können, sehr viele, so lässt sich folgende Form anwenden:

Plena exemplorum est veterum (omnium aetatum) memoria oder *Plenae exemplorum sunt historiae, pleni litterarum annales;* worauf ausser der oben (§ 3. A. a.) erwähnten dubitatio folgen kann: *sed brevitatis causa exemplo contenti erimus uno*

Ac ne haec, quae disputavimus, ex meo potius sensu deprompta quam ex veritate expressa videantur, exempla nonnulla in medium proferam, quae rem vobis, de qua agitur, paene sub oculos subiiciant.

Et verum esse, quod diximus, omnium aetatum historiae satis (satis superque) declarant.

Quae res ut exemplis comprobetur (demonstretur), ponite vobis ante oculos —; liceat mihi vos admonere —; age afferamus —.

Si exemplorum, quae afferri possunt, magna est copia, haec formae possunt adhiberi:

Plena exemplorum est veterum (omnium aetatum) memoria vel *Plenae exemplorum sunt historiae, pleni litterarum annales;* tum sequi potest praeter dubitationem, quam supra commemoravimus (§ 3. A. a.): *sed brevitatis causa exemplo contenti erimus uno.*

Wie die Beispiele unter sich verknüpft werden können, ist bereits oben § 3 (gegen Ende) erörtert worden; doch dürfte es hier von Nutzen sein, die an bezeichneter Stelle angeführten Formen durch andere ähnlicher Art oder neue zu vervollständigen.

Andere Formen der transitio im engeren Sinne sind:

Externa commemoro: quid nostra patria? nonne plena est exemplorum?

Vetera profero (colligo, conquiro), cum mihi liceat uti praesentibus exemplis (atque vivis).

Obsoleta haec et ex prisca antiquitate petita: quid? nostra aetas quae vidit, nonne multo illustriora sunt?

Sed quid externa? domestica quanto illustriora sunt!

Sed quid vetera et externa exempla conquirimus, cum recentium et domesticorum copia suppetat?

Quemadmodum exempla inter se coniungi possint, iam supra § 3. (3. Fin.) expositum est; sed hoc loco haud inutile erit, eis, quae loco laudato allatae sunt, alias formas et eiusdem generis et novas addere.

Aliae transitionis propriae quae dicitur, sunt hae:

Externa commemoro: quid nostra patria? nonne plena est exemplorum?

Vetera profero (colligo, conquiro), cum mihi liceat uti praesentibus exemplis (atque viris).

Obsoleta haec et ex prisca antiquitate petita: quid? nostra aetas quae vidit, nonne multo illustriora sunt?

Sed quid externa? domestica quanto illustriora sunt!

Sed quid vetera et externa exempla conquirimus, cum recentium et domesticorum copia suppetat?

Sed quid in veteribus exemplis commoror —? sed quid poetas admiramur, cum —?

Ausserdem kann die praeteritio angewendet werden, welche ausspricht, dass sie etwas, was angeführt werden könnte, übergehen will, um auf die Wichtigkeit des Folgenden aufmerksam zu machen. Formen derselben sind:

Mitto (omitto, praetermitto, missum facio, praetereo) —; atque ut omittam (praeteream) —; quid loquar de —? quid commemorem —?

Hierher gehören auch:

Dies (me) deficiat, si velim numerare —; possum multa in hanc rem exempla afferre; possum ab omnium saeculorum memoria atque a nationibus plurimis huius rei exempla repetere: sed unum illud insignius est, quam quod praeteriri liceat; longum (infinitum) est de singulis dicere —.

Sed quid in veteribus exemplis commoror —? sed quid poetas admiramur, cum —?

Praeterea adhiberi potest praeteritio, qua qui utitur, se omittere profitetur aliquid, quod dicere possit, quo maiorem vim tribuat ei, quod sequitur; cuius formae sunt hae:

Mitto (omitto) praetermitto, missum facio, praetereo) —; atque ut omittam (praeteream) —; quid loquar de —? quid commemorem —?

Huc pertinent etiam illa:

Dies (me) deficiat, si velim numerare —; possum multa in hanc rem exempla afferre; possum ab omnium saeculorum memoria atque a nationibus plurimis huius rei exempla repetere: sed unum illud insignius est, quam quod praeteriri liceat; longum (infinitum) est de singulis dicere —.

6) Uebergang zum Zeugniss.

Aussprüche können eingeführt werden durch folgende und ähnliche Adverbia:

Bene, optime, praeclare — commode, scite — belle, facete, lepide, urbane, festive — argute, acute, salse — probe, non male, non inscite, commode.

Sprüchwörter, Orakel und Gesetze durch folgende Wendungen:

Vetus est; tritum est vetustate proverbium: tritum sermone; vetus illud laudatumque proverbium; pervulgatum illud est. — Licet rem divina auctoritate confirmare; possum deorum immortalium de hac re iudicium proferre — Quo in genere quid potest sapientius esse (Solonis) *lege, qua cautum est* sqq. oder *Sapientissime cautum erat* (Solonis) *legibus —.*

---

6) Transitus ad testimonia.

Dicta et sententiae proferri possunt his ac similibus adverbiis:

Bene, optime, praeclare — commode, scite — belle, facete, lepide, urbane, festive — argute, acute, salse — probe, non male, non inscite, commode.

Proverbia, oracula, leges his fere locutionibus:

Vetus est; tritum est vetustate proverbium; tritum sermone; vetus illud laudatumque proverbium; pervulgatum illud est. — Licet rem divina auctoritate confirmare; possum deorum immortalium de hac re iudicium proferre — Quo in genere quid potest sapientius esse (Solonis) *lege, qua cautum est* sqq. vel: *Sapientissime cautum erat* (Solonis) *legibus —.*

Auch die oben vorgeführten Formen der transitio sind hier zu verwenden z. B.

Expositis igitur tot tamque illustribus exemplis deinceps dicendum est, quid veteres de ea re senserint; sequitur (restat), ut antiquorum in eam rem testimonia afferam.

Habetis exempla; cognoscite iam antiquorum testimonia; dixi de exemplis: sed si testimonia quoque veterum requiritis, audite quid dicat —.

Atque haec quidem exempla illustrium virorum: venio nunc ad testimonia; ac de exemplis quidem hactenus (dixi, dictum est).

Nunc, quoniam exemplis quod volumus demonstratum est, pergamus, si placet, ad veterum testimonia.

Satis mihi multa attulisse exempla videor, quibus verum esse quod proposuimus planius intellegeretur: restat, ut gravissimorum testium in eam rem sententias ac iudicia proferam; sed de factis

---

Atque etiam transitionis formae, quas supra commemoravi, hoc loco possunt adhiberi, quales sunt:

Expositis igitur tot tamque illustribus exemplis deinceps dicendum est, quid veteres de ea re senserint; sequitur (restat), ut antiquorum in eam rem testimonia afferam.

Habetis exempla: cognoscite iam antiquorum testimonia; dixi de exemplis: sed si testimonia quoque veterum requiritis, audite quid dicat —.

Atque haec quidem exempla illustrium virorum: venio nunc ad testimonia; ac de exemplis quidem hactenus (dixi, dictum est).

Nunc, quoniam exemplis quod volumus demonstratum est, pergamus, si placet, ad veterum testimonia.

Satis mihi multa attulisse exempla videor, quibus verum esse quod proposuimus planius intellegeretur: restat, ut gravissimorum testium in eam rem sententias ac iudicia proferam; sed de factis

clarorum virorum satis dictum est: nunc quid scriptis ceteres litterisque ipsi professi sint videamus.

Nec vero exempla solum et illustrium hominum facta, sed etiam gravissimorum scriptorum sententia et auctoritas commovere nos debet, ut verum id esse, quod probare volumus, existimemus.

Einfacher sind folgende Wendungen:

Hoc illud est, quod dixit —; nimirum hanc habet vim, quod dixit —: hanc sententiam significare videtur illa vox —; mihi quidem (Homerus) *huiusmodi quiddam vidisse videtur, cum — inducit —; hoc idem significat Graecus ille in eam sententiam versus: huc spectat, huc pertinet, huc referendum est illud* (Ciceronis) —; *vidit* (*intellexit, sensit*) *hoc* (Demosthenes), *cum dixit* —.

7) Der Schluss wird in folgender Weise angeknüpft:

Quae cum ita sint, satis intellectum puto oder *satis demon-*

---

clarorum virorum satis dictum est: nunc quid scriptis ceteres litterisque ipsi professi sint videamus.

Nec vero exempla solum et illustrium hominum facta, sed etiam gravissimorum scriptorum sententia et auctoritas commovere nos debet, ut verum id esse, quod probare volumus, existimemus.

Simpliciora sunt haec:

Hoc illud est, quod dixit —: nimirum hanc habet vim, quod dixit —; hanc sententiam significare videtur illa vox —; mihi quidem (Homerus) *huiusmodi quiddam vidisse videtur, cum — inducit —; hoc idem significat Graecus ille in eam sententiam versus: huc spectat, huc pertinet, huc referendum est illud* (Ciceronis) —; *vidit* (*intellexit, sensit*) *hoc* (Demosthenes), *cum dixit* —.

7) Conclusio hoc modo adiungitur:

Quae cum ita sint, satis intellectum puto vel: *satis demon-*

strasse mihi videor; es folgt dann in der Regel ein: *Quodsi, quoniam igitur, quoniamque* oder *Quod reliquum est, quod restat.*

Zur Aufforderung selbst kann man etwa folgende Phrasen verwenden:

Penitus hoc animis nostris mentibusque mandemus —;

hoc non modo memoriae mandemus, sed etiam in animis inscribamus (animis infigamus) —; illud perpetuo animis nostris infixum habeamus —;

hoc in memoria nostra penitus insideat —; hoc nobis praecipue dictum esse putemus, qui —; pro viribus eniti et elaborare debemus —;

omni ope et opera enitamur —;

quantum possumus eniti atque contendere nos decet —;

nihil nobis prius faciendum esse putemus —; omnem curam atque operam ponamus in —; omnibus modis (omni ratione) cavendum nobis putemus sqq.

---

strasse mihi videor; sequi solet: *Quodsi, quoniam igitur, quoniamque* vel: *Quod reliquum est, quod restat.*

Ad ipsam adhortationem his fere locutionibus uti poteris:

Penitus hoc animis nostris mentibusque mandemus —;

hoc non modo memoriae mandemus, sed etiam in animis inscribamus (animis infigamus) —;

illud perpetuo animis nostris infixum habeamus —;

hoc in memoria nostra penitus insideat —; hoc nobis praecipue dictum esse putemus, qui — pro viribus eniti et elaborare debemus —;

omni ope et opera enitamur —;

quantum possumus eniti atque contendere nos decet —;

nihil nobis prius faciendum esse putemus —; omnem curam atque operam ponamus in —; omnibus modis (omni ratione) cavendum nobis putemus sqq.

Exempla commentationum.

I. Unius viri prudentia Graecia liberata est Europaeque succubuit Asia.

Gravia tempora ac bella singularem saepe vim habere ad animos inflammandos et ad ingenia acuenda, si ullius populi, certe Atheniensium historia luculentissime declarat. Bellis enim Persarum factum est, ut Athenienses, quum antea quasi tenebris involuti latuissent atque ingloriose dies degissent, praeclarissimis victoriis apud Marathonem et Salamina relatis cum Graeciam e maximo periculo eripuissent, ad summam potentiam et gloriam pervenirent et omnium fere civitatum principatum adipiscerentur. Nam ipso periculo, quidquid virium ante quieverat, subito excitatum, et totius populi animi mirum quantum inflammati sunt. Neque vero Athenienses id, quod consecuti sunt, consequi potuissent, nisi singuli viri ingenio patriaeque amore praestantes exstitissent, qui erectos civium animos consilio et prudentia regerent et ad optima quaeque perficienda impellerent. Inter quos praecipue nominandus est Themistocles, cui merito a Nepote hoc laudis tribuitur, quod eius unius prudentia Graecia liberata est Europaeque succubuit Asia. Quod quam verum sit quo magis cognoscatur, de vita eius rebusque gestis paullo accuratius disseram.

Themistocles primum rempublicam capessivit paucis annis post clarissimam illam Miltiadis victoriam apud Marathonem a Persis reportatam, et quo animo tum fuerit, inde cognoscitur, quod Miltiadis tropaeis se e somno suscitari dicebat. Ex quo non solum illud apparet, quanta honoris et laudis cupiditate fuerit, sed etiam qua sagacitate futura praeviderit: nam quum omnes illam apud Marathona stragem finem esse belli Persarum putarent, unus Themistocles maiores etiam pugnas illam secuturas esse praevidit, ad quas subeundas ut patriam quam maxime idoneam redderet, summa industria nitebatur. Quare quum ei persuasum esset Graeciae salutem in navibus positam esse idque unum auxilium adversus Persarum copias esse, omnium primum curavit, ut res navales Atheniensium, quantum fieri posset, augerentur. Itaque quum pecunia publica, quae e metallis redibat, largitione magistratuum quotannis interiret, ille persuasit populo, ut ea pecunia classis centum navium aedificaretur. Qua effecta adversus insulas maritimosque praedones bellum gerere coepit, ut ferociores ac peritiores belli navalis faceret Athenienses. Id quantae saluti esset universae Graeciae, cognitum est, quum Xerxes, Persarum rex, bellum adversus Graecos instauravit cum tantis copiis, quantas neque antea nec postea habuit quisquam. Adventante igitur Xerxe praetor belli factus Themistocles oraculum a deo Delphico datum, ut moenibus ligneis Athenienses se munirent, ita interpretatus est, ut diceret consilium esse Apollinis, ut in naves se suaque conferrent; eum enim a deo significari murum ligneum. Quo consilio propter Themistoclis auctoritatem probato urbe relicta omnes naves conscendunt. Graecorum deinde classe cum

Atheniensium coniuncta quadraginta paene naves effectae sunt, quarum longe plures dimidio fuere Atheniensium, ita ut suo iure summum imperium Themistocles sibi vindicare posset. Sed multo magis de salute patriae quam de sua gloria sollicitus, ne ducum dissidio Graecorum vires debilitaret, non invitus Eurybiadi, regi Lacedaemoniorum, imperium concessit. Primum deinde apud Artemisium, Euboeae promunturium, Graecorum classis cum hostibus conflixit, ubi bis aequo proelio discessum est. Tum vero diutius manere Themistocles ausus non est, ne ab hostibus circumiretur. Sed iam horum proeliorum eventus docuerat, qua parte copiarum hostes vinci possent. Et quid futurum esset, quasi praesagiens verba saxis inscribenda curavit, quibus Iones, qui coacti Xerxis exercitum sequebantur, ad defectionem sollicitaret; tum ab Artemisio discessit et apud Salamina, ubi a multitudine circumiri non posset, classem constituit. Interim Persarum terrestres copiae, quum proditione oppressis trucidatisque trecentis cum Leonida Lacedaemoniis Thermopylarum angustias superassent viamque in ipsam Graeciam patefecissent, Athenas tendunt easque incendio delent. Quo aspectu perterriti classiarii Peloponnesiaci quum manere non auderent hortarenturque, ut domos suas quisque discederent moenibusque se defenderent, Themistocles unus obstitit, ne discessu sociorum classis minueretur, testabaturque universos pares fore hosti, dispersos perituros. Iam vero quum minus quam vellet Eurybiadem moveret, consilio callido eum ad pugnandum cogere statuit. Itaque Xerxem, amicitiam simulans, clam per servum fidelissimum, quem habebat, certiorem facit, eo loco Graecorum classem constitutam esse, ubi uno proelio

facile deleri posset; ne moraretur, quominus quam celerrime aggrederetur; nam si Graeci, qui in eo essent, ut domos discederent, dissipati essent, maiore labore singulos ei persequendos esse. Ita simul et Xerxem decepit movitque, ut alienissimo sibi loco proelium iniret, et Graecos ad gloriosissimam, quam unquam adepti sunt, victoriam invitos adduxit. Sed quamquam Xerxes rem male gesserat, tamen tantas habebat reliquias copiarum, ut etiam his opprimere posset exiguam Graecorum manum. Quod veritus Themistocles iterum dolo eum de gradu movit, nuntio ad eum misso, qui diceret id agi, ut pons, quem ille in Hellesponto fecisset, dissolveretur. Quo effecit, ut Xerxes celerrima fuga in Asiam reverteretur.

Proelio autem illo quamquam ab omnibus fortissime pugnatum erat, negari tamen non potuit, Themistoclis magis consilio atque prudentia quam armis et fortitudine militum Graeciam liberatam esse. Itaque quum exercitus victor in Isthmum convenisset, uno omnium ore fortissimus inter Graecos vir declaratus est Themistocles atque Spartae, quo invitatus venit, summis honoribus affectus.

Atque is vir, multis magnisque virtutibus excellens atque optime cum de tota Graecia, tum de Atheniensium civitate meritus, tamen non effugit civium suorum invidiam, neque aut tropaea Salaminia aut consilia, quibus postea patriam suam auxerat, prohibuerunt, quominus ingratos cives experiretur. Nam cum populo nimiam potentiam assecutus videretur, testarum suffragiis e civitate eiectus est. Athenienses enim reipublicae libertati metuentes malebant eum innoxium plecti, quam se diutius esse in timore. Exsul igitur primum Argos habitatum concessit. Sed quum a Lacedaemoniis, quibus ob aedificata ipsis invitis

Athenarum moenia infestus erat, accusaretur, quod Pausaniae proditionis conscius esset, Argis quoque se non satis tutum esse ratus Corcyram atque inde ad Admetum, Molossorum regem, confugit. Quum ne ibi quidem ab Atheniensibus tutus esset, in Asiam traiecit et ad Artaxerxem, cuius patrem apud Salaminem devicerat, venit. Hic eius magnitudinem admirans cupiensque talem virum sibi conciliari veniam dedit eumque usque ad vitae exitum apud se receptum summo honore affecit.

2. Quibus rebus Solon de civitate Atheniensium optime meruerit.

Magna sunt in rempublicam merita eorum, qui rei militaris scientia et fortitudine bellica praediti gravissimis temporibus cum ipsorum vitae periculo praeclaris ab externis hostibus victoriis reportatis patriam e belli faucibus eripuerunt. Sed non minus praeclare, fortasse etiam melius de patria sua atque de toto genere humano mereri videntur ii, qui in pace bonis legibus institutisque res domesticas et familiares, totam omnino rempublicam temperant efficiuntque, ut cives et oneribus et iuribus aequaliter distributis pacate feliciterque possint vivere. Iam vero si quis cum eximia virtute domestica fortitudinem bellicam coniungit, eius gloria maxima est et iure meritoque nomen eius et apud aequales et apud posteros in summo honore est. Talis vir fuit Solon Atheniensis, unus e septem illis Graeciae, nobili genere natus, qui cum mercatura facienda rem familiarem satis auxisset, rerum necessariarum cura solutus reliquam aetatis partem in republica versatus est.

Is iam iuvenis praestantissimo ingenio, bonis moribus

maximaque vitae integritate permagnam omnium civium exspectationem moverat. Quam postea non solum explevit, sed etiam praeter opinionem superavit. Duabus autem rationibus, et belli et pacis artibus, vere magnus fuit nomenque suum ad omnem posteritatis memoriam propagavit.

Ac primum quidem sacro quod vocant bello de tota Graecia bene meritus est. Nam Amphictyones auctoritate sua permovit, ut Cirrhaeis propter violatam religionem arma inferrent; quumque re minus bene gesta iam omnes de eorum urbis expugnatione desperarent, unus Solon promptum animum et fortitudinem praestitit et ambagibus explicandis effecit, ut bellum denuo susciperetur et bene conficeretur. Deinde alterum eximium patriae amoris specimen edidit, quum ipso cum periculo vitae Atheniensibus suadere ausus est, ut Salaminem insulam recuperarent. Nam haec insula, unde Athenienses magnam rerum ad vitae usum necessariarum partem sumebant, a Megarensibus expugnata erat omnesque eius recuperandae conatus tam tristem habuerant exitum, ut Athenienses lege sancirent, si quis in posterum insulae Atheniensibus vindicandae auctor apud populum exstitisset, ut id ei capitale esset. Solon autem de patriae damno sollicitus quum dies noctesque animo agitasset, quid faciendum esset, simulata insania elegiam composuit, qua gravissimis verbis Atheniensibus ignaviam obiecit, ut hac ignominia eorum animos stimularet. Quo carmine in concione recitato audientium animi ita permoti sunt, ut statim exercitum Salaminem mitti Solonemque et Pisistratum ei praeesse iuberent. Quorum consilio et fortitudine recuperata est insula.

His rebus cum Solo magnam sibi gloriam parasset,

multo maiorem adeptus est bonis legibus et institutis, quibus civitatem temperavit. Athenienses enim, quum trium factionum certaminibus civitas turbaretur, Draconi mandarant, ut certas ac definitas leges scriberet. Qui quum in legibus, quae sanguine conscriptae dicebantur, tanta usus esset severitate, ut seditiones ac tumultus non modo non sedarentur, sed etiam in dies crescerent, Athenienses earum pertaesi et severissimis praeterea de aere alieno legibus oppressi Solonem, cuius iam pridem virtutem singularemque prudentiam cognovissent, novas easque omnibus populi ordinibus accommodatas dare iusserunt. Atque is a. 594 a. Chr. n. ἄρχων ἐπώνυμος creatus sapienter temperatam inter paucorum dominatum plebisque licentiam reipublicae formam instituit. Sed nihil prius quam aeris alieni gravissimo onere pauperes liberavit lege σεισαχθείας, pecuniarum potestatem augendo et grave illud creditorum ius tollendo, quo eis debitores libertate privare et, si debitum solvere non possent, in servitutem abducere licebat. Deinde ut factionum contentiones tollerentur, iura inter cives aeque distribuenda curavit. Erat enim ea aetate Atheniensium civitas in tres partes divisa, quae infestis animis inter se contendebant. Atque divites quidem (οἱ ἐκ τοῦ πεδίου) sibi summam in republica potestatem vindicabant, pauperes, qui montes incolebant (ὑπεράκριοι), ut omnis vis penes plebem esset, postulabant, qui modice locupletes erant maximeque oram maritimam tenebant (πάραλοι), medium quasi imperium inter proceres et plebem institui volebant. Et horum quidem sententiam secutus Solon, ne ulla populi pars a rebus publicis plane exclusa, sed aequabilis distributio esset iurum et officiorum et munerum, censum instituit, ex quo non pro ordine

aut genere, sed pro pecuniarum ratione et pro agrorum proventu totum populum in quatuor divisit classes. Et primae classi adnumerabantur, quibus ex agris quingenti ad minimum medimni fructuum redibant, qua de causa πεντακοσιομέδιμνοι dicebantur, secundam classem constituebant ii, qui quotannis trecentorum medimnorum messem faciebant et equum alere poterant, quamobrem ἱππεῖς appellabantur; tertiae classis erant, qui uno boum vel equorum iugo agrum colebant, ob id ζευγῖται dicti, et centum et quinquaginta fructuum medimnos demetebant. Quartae denique classi adnumerabantur ii, qui minus centum et quadraginta medimnis fructuum ex agris capiebant, qui quum aliis mercede operam suam locarent, θῆτες dicebantur. Primae et secundae et tertiae classis cives ad rem publicam accedere poterant, sed primae tantummodo classis civibus munere archontum, quod Solon non abrogandum esse censuit, fungi licebat. Sed eorum potestas aliquanto diminuta est. Nam ut Romae consulibus senatus, ita Athenis archontibus addita est βουλή, quae erat quadringentorum hominum, e singulis tribubus centenis sorte creatis. Quod collegium de omnibus publicis negotiis consulebatur et pecuniam publicam administrabat. Summa potestas erat penes populum, qui in comitiis leges iubebat, honores et imperia mandabat, de pace et bello decernebat. Ex populo quotannis sex millia virorum, qui appellabantur ἡλιασταί, ad exercenda iudicia eligebantur. Areopago denique, qui de criminibus capitalibus iudicabat, in quod consilium nemo admittebatur, nisi qui archontum munere integerrime et sanctissime functus esset, Solon, ut mores civium custodiret et publicam iuventutis educationem curaret, mandavit.

Praeter has leges multa alia Solon in civitate bene instituit, e quibus intellegi potest eum etiam privatae et domesticae civium vitae quam maximam curam gessisse. Instituit, ut hoc afferam, ut parentes non solum corpora liberorum alerent, sed etiam animos excolendos diligenter curarent, quo meliores postea cives fierent, liberi autem ut parentes egenos sustentarent. Inde a vicesimo aetatis anno iuvenes, postquam publice iuraverant se legibus obedituros easque ab omni hostium impetu defensuros esse, armis maxime operam dabant. Qui militiam detrectabant, civitatem amittebant; eorum autem, qui in pugna ceciderant, liberi publice educabantur.

Huiusmodi legibus et institutis temperata respublica Atheniensium brevi laetissime efflorescere coepit, ita ut, quum antea ingloriose degissent neque bellica virtute neque literarum artiumque studiis insignes, non ita multo post principatum quendam Graeciae obtinerent. Neque id mirum. Nam quum Solon omnibus civibus sua iura concessisset omnesque reipublicae gerendae participes fecisset, non modo certamina illa procerum et plebis desierunt, sed etiam libentissime summaque virium contentione quodvis periculum pro patria omnes subierunt.

3. Romanorum reges pro suo quemque ingenio bene de civitate Romana meritos esse.

Omnes, quae unquam magnam consecutae sunt potentiam, gentes non solum, quod facile suspiceris, viris manu fortibus reique militaris peritis magnitudinem suam debuerunt, sed etiam legumlatoribus omnibusque iis, qui domesticis institutis, in quibus maximum cuiusque civitatis

robur situm est, rempublicam bene temperaverunt. Quaerenti igitur mihi, quibus maxime causis factum sit, ut Romani, quum initio humilem sane ac paene infimum locum inter Italiae gentes obtinuissent, non ita multis annis post non eas solum, sed omnes fere terrae tum cognitae populos sibi subiicerent, haec primaria videtur fuisse, quod nullo non tempore viri magni et praeclari inter eos exstiterunt, a quibus et foris fortiter prudenterque bella gesta sunt et domi respublica optimis legibus institutisque firmiter est fundata. Hanc enim ob causam praestare Romanae civitatis statum ceteris civitatibus Cato dicere solitus est, quod in illis singuli fuissent fere, qui suam quisque rempublicam constituissent legibus atque institutis suis, Romanorum autem respublica non unius esset ingenio, sed multorum nec una hominis vita, sed aliquot constituta saeculis et aetatibus. Quod etsi ratione haud difficile est ad probandum, quia neque quisquam ullo tempore fuit, qui omnia mente comprehenderet neque cuncta ingenia in unum collata uno tempore tantum providere possunt, ut nulla rerum mutatione postea opus sit, tamen id clarius evidentiusque apparebit, si Romanorum civitatem et nascentem et crescentem quoque modo reges pro suo quisque ingenio de ea bene meriti sint, paullo accuratius contemplati erimus.

Et primum quidem Romulus, et urbis et imperii conditor, de re Romana optime meritus est, quod moenibus exstruendis locum elegit maxime idoneum. Quum enim non esse opportunissimos situs maritimos urbibus iis, quae ad spem diuturnitatis atque imperii condirentur, sentiret, quod urbes maritimae multis periculis essent expositae, urbem novam in amnis in mare late influentis

ripa posuit, quo posset urbs et accipere ex mari, quibus rebus egeret, et reddere, quibus abundaret. Urbe ita condita centum in regium consilium delegit principes, qui patres appellati sunt, atque legatos circa vicinas gentes misit, qui societatem connubiumque novo populo, quem aperto asylo ex variis quasi elementis congregaverat, peterent. Quibus non impetratis Sabinas honesto ortas loco virgines, quae ad ludorum spectaculum Romam venerant, dato signo rapi iussit suisque in matrimonium dedit. Quamobrem cum bellum contra Romanos Sabini movissent atque in urbem intromissi atrocissimam in ipso foro pugnam dedissent, intervenientibus Sabinis mulieribus, quarum ex iniuria bellum ortum erat, foedus icit cum Sabinis eosque regno cum illorum rege T. Tatio consociato in civitatem recepit. Ita geminata civitate, senatorum quoque numero duplicato populum et suo et Tatii nomine in tribus tres curiasque triginta distribuit, quas curias raptarum nominibus appellavit. Tatio deinde occiso Romulus, quum iterum solus regnaret, et bella cum finitimis felicissime multa gessit et, quum ipse nihil ex praeda domum suam reportaret, locupletare cives non destitit.

Neque minus quam Romulus Numa Pompilius, qui illi in regno successit, quamquam bellum gessit nullum, civitati profuit. Nam quum Romanos a Romulo bellicis studiis incensos ab ea consuetudine revocandos esse intellexisset, agros, quos bello Romulus ceperat, viritim civibus divisit docuitque sine depopulatione atque praeda posse eos colendis agris abundare commodis omnibus. Sed imprimis sacra, caeremonias omnemque deorum cultum eos docuit, ut mores populi feri religione

mollirentur. Itaque flamines, augures, Vestales virgines instituit unumque ex patribus pontificem fecit, qui omnia et publica et privata sacra atque divini iuris ritus doceret. Praeterea annum in duodecim menses ad cursum lunae distribuit et dies fastos instituit, quibus ius dici licebat, et nefastos, quibus non licebat. His omnibus effecit, ut civium animos religione impleret atque ut fides et iusiurandum non minus, quam legum et poenae metus populum teneret.

Tullus deinde Hostilius, quem Numae dissimilem ipsoque Romulo ferociorem mortuo Pompilio regem populus creavit, non solum gravissimum cum Albanis Fidenatibusque bellum gessit Albamque ipsam, unde originem ducebant Romani, diruit, cuius civibus Romam transductis urbem Cloelio monte addito auxit, sed etiam Albanorum principes in patres atque equitum decem turmas ex Albanis legit. Itaque viribus civitatis auctis Sabinis bellum indixit easque atroci pugna devicit.

Post Tullum Ancus Marcius rex a populo constitutus est, Numae Pompilii nepos, cui similis erat aequitate et religione. Is caeremonias ab avo institutas renovavit constituitque ius fetiale, quo sancitum est, ut, quod bellum denuntiatum indictumque non esset, iniustum esse atque impium iudicaretur. Sed bella quoque prospere gessit. Nam Latinos, qui sub eius imperio animos sustulerant et incursionem in agrum Romanum fecerant, proelio vicit victosque, cum eorum oppida delevisset, Romam traduxit. Idem Aventinum Ianiculumque collem vallo munivit et interfluentem Tiberim ponte iunxit. Nec urbs tantum ipsa sub hoc rege crevit, sed etiam ager finesque. Veientibus enim devictis imperioque usque ad mare prolato in ore Tiberis Ostiam condidit et, quum

satis amplus ibi esset portus, mercaturae opumque maritimarum fundamenta iecit.

Anco regnante L. Tarquinius Priscus Romam migravit, qui mox divitiis conspicuus omnium Romanorum animos benignitate et benevolentia adeo sibi conciliavit, ut non solum regis consuetudine uteretur, sed etiam rege mortuo ipse rex crearetur. Hic quoque civitati multum profuit. Et primum quidem patrum, quos maiorum gentium appellavit, numerum duplicavit, iique, qui additi sunt, quod eorum civium patroni essent, qui minore utebantur iure, minorum gentium dicti sunt. Bello deinde cum Sabinis gesto et feliciter confecto, equitum centurias numero auxit; nomina earum mutare non potuit, Attii Naevii auguris, qui id fieri posse negavit, quod aves non addixissent, auctoritate prohibitus. Maximam vero famam apud posteros sibi paravit pacis operibus. Nam muro lapideo urbem cinxit et infima urbis loca circa forum aliasque interiectas collibus convalles cloacis e fastigio in Tiberim ductis siccavit Capitoliumque inchoavit.

Inter omnes autem reges, qui Romulum secuti sunt, plurimum civitati Romanae profuit Servius Tullius, qui non solum bello eam auxit, sed legibus etiam institutisque sapientissimis firmavit. Et bello quidem Veientium aliorumque Etruscorum exercitus fudit; sed pacis opera multo sunt maiora. Totum agrum Romanum in triginta regiones distribuit, quatuor urbanas, viginti sex rusticas, quibus singulis praeesset tribunus. Deinde ne patres soli civitate fruerentur, sed plebs quoque suffragii particeps fieret, et belli pacisque munia pro cuiusque viribus constitui possent, populum in sex divisit classes, quae centum et nonaginta quinque centu-

rias complectebantur. Omnes hae centuriae in concionem convocatae comitia centuriata appellabantur, quibus ipsis Servius triplex illud ius, quod antea curiatorum comitiorum fuerat, accipiendi novas leges, regem aliosque magistratus creandi et decernendi de bello paceque commisit. Sed quamquam nemo suffragiis exclusus videbatur, summa tamen potestas penes primores erat. In ferendis enim suffragiis primum equitum, deinde peditum primae classis, raro, si variaret, secundae classis centuriae vocabantur. Haec sufficient de Servii Tulli institutis, quae ad formam reipublicae pertinent; aliud eius meritum hoc est, quod urbem non modo amplificavit duobus collibus, Quirinali Viminalique, additis, sed amplificatam etiam aggere et fossis circumdedit. His rebus civitate firmata et corroborata etiam fines imperii propagavit. Foedere enim cum Latinis icto Romam Latinorum caput reddidit, templumque Dianae in Aventino, ubi communia sacra fierent, exstruxit. Ac de Servio quidem Tullio satis diximus.

Restat ut de postremo omnium regum, de Tarquinio, dicam, cui cognomen Superbo datum est, ut appareat hunc quoque de civitate Romana bene esse meritum. Et sane, quamquam regnum sceleste occupavit et superbia insolentiaque postea tam invisum reddidit, ut eo expulso Romani aliam reipublicae formam constituerent, tamen non omni laude caret. Multum enim ad augendam civitatem contulit. Nam Latium bello devicit et Volscorum, quibus arma intulerat, urbem opulentissimam, Suessam Pometiam, expugnavit itemque Gabios fraude cepit et pace cum Aequis facta cum Tuscis foedus renovavit. Ex urbanis eius operibus commemorandum inprimis est, quod templum

Iovis Capitolini a patre votum aedificatione persolvit ex auro argentoque, quod Suessa Pometia expugnata ceperat.

Iam apparere puto verissimum illud esse, quod supra dixi, Romanorum reges pro suo quemque ingenio de civitate Romana bene meritos esse. Ita constituta per eos respublica Romana brevi tempore laete efflоruit atque admirabilem progressionem incredibilemque cursum ad omnem excellentiam fecit. Recte igitur Livius iudicavit, nisi Romulus et belli et pacis artibus pariter excellens fuisset, nisi post eum Numa et Servius exstitissent, quorum sapientia ordines tot tamque firmis vinculis devincti sunt, rempublicam Romanam prius ad interitum casuram fuisse, quam orbis terrarum imperium adepta esset.

4. De bellis a Romanis adversus Tarquinios gestis usque ad pugnam apud lacum Regillum commissam.

Regibus expulsis Romae non per omnem populum laetitia agitabatur, sed, uti fieri solet, fuerunt, qui, licentiam una cum regno amissam conquerentes, pristinum rerum statum desiderarent. Itaque quum legati a Tarquinio venissent, qui specie bonorum repetendorum in urbe morantes civium animos pertentarent, complures adolescentes nobiles, ut reges in civitatem rursus reciperentur, coniuraverunt. Sed prius, quam id consilium perfici posset, patefacta res est. Legati urbe eiecti; de coniuratis supplicium sumptum; nec Brutus consul, quo grave vindicatae proditionis exemplum ederet, suis ipsius liberis, qui sceleris conscii et participes fuerant, pepercit.

His nuntiatis Tarquinius graviter ferens tantam spem ad irritum cecidisse, quum dolo nihil profecisset, id quod volebat, vi et armis iam quaerendum esse ratus supplex

Etruriae urbes circumivit atque Veientes Tarquiniensesque quum orando, ne se, eiusdem sanguinis, perire sinerent, tum etiam monendo, ut toties illatas iniurias ultum irent, eo perduxit, ut Romanis bellum inferrent. Quod ubi Romae cognitum est, obviam hosti consules iverunt. Brutus et Aruns, Superbi filius, quorum uterque ad explorandum cum equitatu processerat, incitatis equis concurrentes quum hastis contrario ictu se transfixissent, peditibus supervenientibus proelium undique inceptum et aequo Marte usque ad mortem pugnatum est, donec Etrusci Silvani voce „vicisse Romanos“ permoti domum abierunt.

Nec tamen ea victoria firmam Romanis libertatem tutamque reddidit; etiam alia et maiora certamina iis erant sustinenda. Nam Porsena, rex Clusinorum, Tarquinium, qui post Veientium cladem ad eum perfugerat, in regnum restituendum esse ratus, ne alii quoque populi pellendi regis exemplum sequerentur, infesto exercitu in agrum Romanum invasit subitoque impetu Ianiculum occupavit. Magnus inde terror omnium Romanorum animos incessit. Fit fuga se recipientium trans flumen, hostisque haerens in terga eorum una per pontem sublicium in ipsam urbem irrupit, nisi unus fuisset Horatius Cocles. Is in communi omnium trepidatione animi fortitudinem servans Etruscorum impetum tantisper sustinuit, dum Romani pontem rescidissent; quo facto in Tiberim desiluit et incolumis inter tela hostium ad suos tranavit. Tum Porsena urbem corona circumdans militum omni commeatu interclusit. Quare quum gravis Romae fames orta esset, C. Mucius, iuvenis audax et manu promptus, Porsenae nece patriam obsidione liberaturus mutatis vestibus castra hostium intrat, sed, quia regem ignorabat, scribam

pari fere ornatu illi adsidentem obtruncat; quumque deprehensus dextram accenso foculo iniecisset, Porsenae, a quo ab altaribus amotus erat, trecentos in eius mortem coniurasse, reliquos suo quemque tempore adfuturos indicat. Atque primi periculi casus regem adeo movit tantaque Romanae virtutis admiratio cum incessit, ut iuvene dimisso obsessis ultro ferret pacis condiciones obsidibusque acceptis exercitum ab urbe abduceret.

At Tarquinius vana spe regni recuperandi nondum abiecta ad generum, Manilium Octavium, Tusculum perrexit, per quem Latinos impulit, ut sui in patriam reducendi causa bellum Romanis facerent. Quo indicto ad lacum Regillum in agro Tusculano concurritur. Ibi aliquamdiu atrocissime dimicatum est. Postremo A. Postumius, dictator Romanus, cui postea ex virtute cognomen Regillensis inditum est, postquam Tarquinio Superbo equum infesto animo in se admittenti vulnus inflixit, Latinorum aciem prope inclinaverat, quum cohors exsulum ferociter invecta Romanorum ordines perturbat. Quod ubi dictator animadvertit, delectam manum, quam praesidii causa circa se habebat, in hostem ducit, simul equites descendere ex equis et peditibus laborantibus subvenire iubens adeo vehementer in Latinos invadit, ut Mamilio a T. Herminio interfecto omnes in fugam se darent eodemque impetu castra hostium caperentur. Et cum victis Latinis pax composita est.

Tarquinius autem, omnia frustra expertus, Cumas ad Aristodemum tyrannum se contulit, ubi nonagesimum aetatis annum agens mortem obiisse dicitur. Romani autem, quum ex omnibus his certaminibus superiores discessissent cognovissentque, quid bello possent, postea vel

gravissimas cum finitimis gentibus dimicationes subire non dubitaverunt brevique tantum virium consecuti sunt, ut non solum universam Italiam, verum etiam totum orbem terrarum in potestatem suam redigerent.

5. De plebis secessione in montem Sacrum.

Tarquinio Superbo mortuo et bello gravi cum Etruscis finito iam nihil timendum neque plebis ope amplius utendum esse ratus senatus regere eam arbitrio suo et in eam dominari coepit. Quae in rebus adversis ambiguisque plebi data erant, ea fere omnia tum abrepta sunt: plebs agro publico expelli, foenore iniustissimo premi, multi plebeii ob aes alienum vinciri et in privatos patriciorum carceres vel in servitutem abduci, comitiorum centuriatorum minui potestas, contemni violarique ius ad plebem provocandi. Parum igitur callide cauteque patres temporibus sunt usi. Nam si qua tum fuisset in senatu modestia et temperantia, haud scio an prudentia et moderatione id consecuturus fuerit, ut diutius et minore cum offensione plebem ad nutum regeret. Sed quum plebeiorum calamitates ita auctae essent, ut ferri omnino non possent, salutem nisi seditione concitata restitui non posse existimaverunt.

Paulisper quidem patres veriti, ne coniurationes seditionesque fierent, faciliores in plebem se praebituri eiusque voluntati obsecuturi videbantur. Nam quum plebeii iniuriis senatus patriciorumque offensi maximeque ob nexos addictosque aeris alieni causa irati, ut onera levarentur, minaciter petiissent belloque instante nomina dare noluissent, et senatui totique ordini patricio magna imminerent pericula, senatus concitatos animos vi sedari

non iam posse intellegens, morem se iis gesturum esse simulavit. Appii enim Claudii, vehementi ingenio viri, plebem vi coercendam esse censentis sententiam respuit, quamquam eum ob odium in plebem magni faciebat, et non severitate, sed blandis mollibusque verbis rem agendam esse existimavit. Itaque per Servilium consulem plebi proponit, curae iam sibi esse plebeios neque decorum esse, ut Livii verbis utar, „per metum potius quam postmodo voluntate adflictis civium suorum fortunis consuluisse"; et per eundem consulem vetat militis, donec in castris esset, bona possideri aut vendi aut liberos servitute teneri. Quibus promissis plebem aliquamdiu sibi reconciliavit. Sed finito adversus Volscos bello senatus iis rebus, quas pollicitus erat, parum satisfecit, quum et, qui antea fuerant nexi, creditoribus traderentur et alii necterentur. Plebem vero ob eam rem maxime indignatam, quum novum contra finitimos populos bellum instaret, iterum patres prudentissime sedaverunt, M. Valerio, Publicolae fratre, cuius gentem plebi amicissimam esse constabat, dictatore creato. Verum hostibus victis humanitatis et aequitatis obliti esse videbantur. Nam quum Valerius omnium actionum in senatu primam haberet pro populo victore referretque, quid nexis fieri placeret, eius relationem reiecerunt, et quamquam is desperans, se concordiam in civitate restituturum, dictatura se abdicavit, tamen, quasi non in dictatoris, qui delectum habuerat, sed in consulum verba iurassent milites, sacramento eos teneri rati, per causam renovati ab Aequis belli educi ex urbe legiones iusserunt. Qua re maturata est seditio. Et plebeii primo de caede consulum agitavisse dicuntur, ut sacramento solverentur, sed mox hoc consilio abiecto,

quod scelere nullam religionem exsolvi intellexerant, Licinio quodam auctore in montem Sacrum secesserunt, qui trans Anienem amnem situs erat tria ab urbe millia passuum, anno ducentesimo sexagesimo urbis conditae.

Tum vero ingens pavor patrum animos invasit. Nesciebant enim, quid relicta in urbe plebes agitaret, quid multitudo, quae secessisset, pararet, maximeque reipublicae timebant, si quod externum interim bellum oriretur. Itaque per aequa, per iniqua concordiam civitati restituendam esse rati oratorem ad plebem miserunt Menenium Agrippam, hominem plebi, quod inde oriundus erat, carum. Is notissima illa de ventre ceterisque membris contra eum conspirantibus fabula narrata, quam perniciosa esset civitati discordia, plebi persuasisse et mentes flexisse dicitur. Sed multo magis quam facundi viri oratio eorum animos moverunt, quae patres iis concedenda esse putaverunt. Quamquam etiam in hac re senatus callidum astutumque se praebuit. Nam quum atrox cum plebe certamen non modo, sed exitium etiam senatui totique patriciorum ordini immineret, pacis tamen conditiones factae sunt eae, quae quamvis viderentur plebi magnum commodum afferre, senatui tamen patriciisque maxime conducerent. Nam quum senatui a patriciis, ut pacem componerent, esset mandatum, is per decem primos e suis miro consilio et omni, quae optimates decebat, prudentia plebem placavit. Cui neque consulatus neque ullum aliud ius patricium est concessum; senatui et patriciis omnis, quam habuerant, mansit potestas; una lex Valeria de provocatione denuo sancita est. Sed plebeiis, ut reconciliarentur neve maiora iura sibi peterent, commoda in praesens magna sunt data: qui enim nexi addictique in servitutem

abducti erant, in libertatem vindicati sunt, et omnibus iis, qui solvendo non erant, pecunia credita condonata est. Qua subita levatione quum plebs a gravioribus postulatis averteretur, ius illud nectendi ob aes alienum addicendique servatum est, ita ut haud multo post plebeii in eisdem miseriis versarentur. Attamen unum commodum perpetuum plebeii pace illa consecuti sunt, quod senatus patriciique non concessissent, nisi necessitati fuissent coacti: nam dubium non est quin praesagiverint, quanti momenti id institutum, quod plebeiis concedebatur, in posterum esset futurum. Concessum est enim, ut „plebi sui essent magistratus sacrosancti, quibus auxilii latio adversus consules esset, neve cui patrum capere eum magistratum liceret. Ita tribuni plebeii creati duo“ (Liv. II, 33. Dionys. VI, 89).

Haec est origo tribuniciae illius potestatis, quae postea maximi fuit momenti; nam ei potestati et facultas inerat res magnas gerendi et gravissima quaeque ac plebi salutaria perficiendi, neque periculum deerat, ne homines ambitiosi rerumque novarum cupidi eo munere effrenatum in modum abuterentur ad rempublicam turbandam. Neque ita multo post quinos, deinde denos tribunos plebis creatos esse constat. Ceterum omnis tribuniciae potestatis vis in lege sacrata posita erat, quippe qua sancitum esset, ut tribuni essent sacrosancti.

6. Clarae Deciorum mortes pro patria oppetitae.

Omnibus hominibus, qui quidem non sunt humili et abiecto animo et societati humanae bene consultum volunt, carissimam oportet esse patriam, cariorem etiam

parentibus, propinquis, familiaribus. Huic enim omnia fere debemus; haec nos aluit, haec tute atque honeste produxit usque ad hanc aetatem; haec munit rationes nostras bonis legibus, optimis moribus, honestissimis disciplinis. Quum autem tanta sint beneficia, tanta commoda a patria accepta, nullum incommodum pro ea grave nobis putandum est neque dubitandum pro ea mortem oppetere, si ei sumus profuturi. Quod quam aequum iustumque sit, omnibus aetatibus multi probe intellexisse videntur; nam ingens est numerus eorum, qui pro salute patriae, pro incolumitate civium, pro reipublicae fortunis vel atrocissima pericula summo studio susceperunt et ipsam mortem oppetiverunt. Inter omnes autem, qui pro patria vitam profuderunt, Deciorum gens maxime elucet, e qua tres deinceps viri fortes, et pater et filius et nepos, patriae saluti se obtulerunt.

Atque pater quidem P. Decius Mus iam bello cum Samnitibus gesto, cum tribunus militum stipendia faceret, virtute sua exercitum Romanum ab instante interitu retraxerat. Quum enim A. Cornelius consul exercitum, cui praeerat, incaute in saltum cava valle pervium circaque obsessum ab hoste induxisset nec prius, quam recipi tuto signa non poterant, imminentem capiti hostem vidisset omnesque trepidarent, P. Decius editum in saltu collem imminentem hostibus accepto a consule praesidio occupavit atque ita admiratione paventibus hostibus, quum omnium in se convertisset oculos, spatium consuli dedit ad subducendum agmen in aequiorem locum. Ipse autem sibi sociisque medios per hostes circumsedentes gloriosissime viam ad castra Romana aperuit, et postero die eius auctoritate et consilio castra Samnitium capta et

direpta sunt. Neque ita multis annis post bellum cum Latinis ortum est, ad quod gerendum P. Decius et T. Manilius Torquatus consul cum exercitu in Campaniam profecti sunt. Atque haud procul a radicibus Vesuvii montis, qua via ad Veserim ferebat, cum hostibus congressi pugnam commiserunt atrocissimam. Initio ibi ancipiti Marte pugnatum est; quum autem acies Romana Latinorum impressionem non ferens inclinari coepisset. Decius legiones hostium secum diis Manibus Tellurique devovit ac protinus concitato equo in medium hostium agmen patriae salutem, sibi mortem petens irrupit; factaque ingenti strage plurimis telis obrutus corruit. Inde iam haud dubie consternatae cohortes Latinorum fugae se dederunt et ex Decii vulneribus et sanguine insperata victoria Romanis emersit. Manilius autem consul audito praeclaro facinore collegae lacrimis non minus quam laudibus mortem eius prosecutus est. Atque quum Decii corpus postero die esset inventum, funus quanto potuit apparatu faciendum curavit.

Tam egregium exemplum aemulatus est bello adversus Gallos gesto in quarto consulatu Decius filius. Q. Fabio enim et P. Decio consulibus paene omnes populi circa Romam habitantes se consociaverant ad urbem aggrediendam; e quibus Galli et Samnites Romanis maxime erant timendi. Consules igitur validis cum exercitibus in eos profecti apud Sentinum, Umbriae urbem, cum hostium copiis congressi sunt. In acie Fabius dextrum cornu contra Samnites, Decius sinistrum contra Gallos tenuit. Dum autem apud Fabium incerto eventu dimicatur, Decius orat proceres iuventutis, ne animo deficerent, sed fortiter in hostem impetum facerent. Atque

iam victoria, quum bis Gallorum equites repulsi essent, paene parta videbatur, quum Romanos subito novum pugnae conterruit genus. Hostes enim carris usi sunt, quorum ingenti sonitu equi virique perturbati sunt. In hac trepidatione Decius recedentes legiones adhortatur, ut subsisterent neve fuga salutem peterent. Quod quum frustra se facere videret, patris exemplum secutus animo secum statuit se pro legionibus ac populo Romano victimam praebere. Itaque postquam pontificem devotionis verba praeire iussit atque eodem habitu eademque precatione, qua pater, usus concitato equo in mediam hostium aciem se immisit et innumeris telis transfixus concidit. Nec minor tum erat hostium perturbatio quam bello Latino. Atque Romanae legiones, quum consulis exitum audivissent, tantum afuit, ut, quod fieri solet in tali rerum condicione, animis infringerentur, ut excelsiore animo virtuteque in exercitum hostium turbatum incurrerent. Quibus rebus factum est, ut hostes effuso cursu fuga salutem peterent.

Bellis cum Samnitibus confectis Pyrrhus, rex Epirotarum, in Italiam venit, Tarentinis adversus Romanos auxilium laturus. Is postquam Romanos apud Heracleam vicit, ad Asculum Apulum iterum proelio cum eis certavit, in quo P. Decius nepos, quum suos labantes vidisset, non ultra morans familiare fatum se diis Manibus pro patria exercituque devotum in hostes immisit.

Hae sunt res gestae, ob quas Decii maximis semper laudibus celebrati quibusque gloriam assecuti sunt, quae ad aeternam posteritatis memoriam propagata erit. Horum virorum egregia exempla imitantes etiam nos amemus patriam eique omnes fortunas, quin etiam vitam ipsam

alacri animo dedamus, memores et multorum beneficiorum, quae ab ea accepimus, et gloriae aeternae, quae iis contingit, qui, sicut Decii, caput suum pro salute patriae devoverunt.

7. Quatenus M. Furius Camillus alter urbis Romanae conditor recte dici possit.

Apud veteres ut gentium auctores ita sigularum urbium conditores magnopere cultos atque etiam in deorum indigetum numero habitos esse invenimus. Quo maiore autem honore hi sunt affecti, eo ampliora merita insigniioresque virtutes requirebantur, ut postea aliquis dignus haberetur, cui cognomen daretur conditori urbis; quare etiam apud Romanos, quum multi quovis virtutis genere florerent, tamen duo tantummodo reperti sunt, qui eadem, qua Romulus, appellatione digni haberentur. Licet alterius, C. Marii, rerum gestarum magnitudinem favor partium auxerit, ut idoneus videretur, qui tanto ornaretur gloriae titulo, in alterum tamen, M. Furium Camillum, minime hoc cadit, quippe qui ea fuerit aetate, qua soli virtuti praemium tribuebatur, quique tam praeclaras res gesserit, ut eum plus, quam ullum antea vel postea Romanorum ducem, urbi profuisse iure dicas.

Nam ne loquar de eo, quod Veiis Faleriis aliisque urbibus expugnatis imperium Romanum amplificavit nominique Romano multum decus attulit: Romam ipsam ex hostium manibus eripuit servatamque bello in pace haud dubie restituit. Quum enim Galli Senones, ira incensi, quod tres Fabii ad Clusinos legati contra se pugnassent, profligato ad Alliam flumen Romanorum exercitu, urbem

cepissent atque capitolium, quo se omnis iuventus cum senatu contulerat, graviter obsidione premerent, ita ut vix diutius resisti posse videretur: ii, qui e caede illa atroci superstites partim Veios partim alias in urbes confugerant, rursus congregati ad eximendos obsidione Romanos Ardeam, ubi Camillus tum exulabat, miserunt, qui eum orarent, ut dux sibi contra Gallos esset. Atque is, etiamsi optime de patria meritus ab ingratis civibus erat expulsus, tamen iniuriae memor esse noluit, sed occasionem servandae patriae nactum se esse gavisus, senatu antea per Pontium Cominium, iuvenem audacissimum, consulto dictator dictus cum multitudine in itinere magis magisque crescente Romam accelerat, inter aurum, quo obsessi finem obsidionis empturi erant, expendendum advenit Gallosque, quum ex urbe eiecisset, altero proelio in via Gabina commisso adeo fundit fugatque, ut ne nuntius quidem cladis relictus esse dicatur.

Ita recuperata quidem ex hostibus erat Roma, sed ne nihilominus interiret, aliud restabat periculum illo prope gravius. Consilium enim transmigrandi Veios, quod iam ante adventum Gallorum erat propositum, sed eo, quod patres acerrime repugnaverant, ad irritum ceciderat, tunc post urbem incensam, quia aedificare pigebat, multo intentius urgebant tribuni plebis, neque multum aberat, quin civitas iam ad id consilium inclinata relicto sacro urbis solo cum Veientibus permisceretur. Sed Camillus, cui longinquo exsilio ipsum solum, ubi natus educatusque erat, carius erat factum, indigne ferens civium sanguine redemptam patriam tam turpiter desertum iri, luculenta oratione, quam Livius memoriae prodidit, populo persuadebat, ut ab incepto desisteret. Fortuna adiuvit disertum

pectus maximo patriae amore incensum. Centurio enim cohortium ex praesidiis revertentium quum curiam Hostiliam, in qua senatus de ea lege consultabat, praeteriret, velut a divino quodam numine admonitus, exclamavit: „Sta, miles! hic optime manebimus“; qua voce audita omen accipientes urbem restituendam esse omnes censuerunt.

Ex his, quae attuli, satis apparet, nisi ille fuisset, Romam nullam fuisse futuram; et quamquam, quum Veiis expugnatis propter aversae praedae suspicionem pecunia multatus in exsilium abire coactus esset, nimio dolore tantae iniuriae superatus ita deos immortales precatus est, ut videri posset gloriae tantum, non reipublicae inservisse: tamen dubitari non potest, quin in patriam restitutus amore eius cesserit nemini, virtute autem facile superaverit omnes Romanos, quod quidem cum probe intellegerent, iam aequales adeo eum extulerint, ut secundum a Romulo conditorem urbis Romanae eum ferrent.

8. Quanta fide Hannibal iusiurandum patri datum, se perpetuum Romanorum inimicum fore, servaverit.

Si verum est, quod nemo dubitat, Romanorum historiam abundare praeclarissimorum virorum exemplis ad animos extollendos et virtutis admiratione inflammandos idoneis, fatendum tamen est, ne hostibus quidem eorum defuisse, qui summa laude et admiratione digni essent, sive magnitudinem bellorum, quae gesserunt, consideramus, sive adversariorum, quos vicerunt, fortitudinem respicimus, sive difficultates nobiscum reputamus, quibus postremo succubuerunt. Cuius autem hoc loco prius

mentionem faciam quam Hannibalis, qui unus cum tot tantisque Romanorum ducibus per tot annos de imperio gloriaque decertavit? Illud autem in hoc viro maxime est admirandum, quod inexpiabile in Romanos odium velut hereditate relictum atque iam prima aetate iureiurando confirmatum usque ad extremum spiritum servavit, ita ut prius animam, quam id deponeret.

Quod odium quomodo iam puero quasi instillatum esset, ipse Antiocho, Syriae regi narravit: patrem Hamilcarem se puerum novem annorum, quum sacrificasset, altaribus admotum iureiurando adegisse, nunquam se fore amicum populi Romani. Idque iusiurandum quanta fide per totam vitam servaverit, age nunc paucis, si placet, exponam.

Ac primum quidem Hannibal in Hispania, in qua subigenda Carthaginienses ea aetate omnem operam ponebant, sub patre et post eius obitum sub Hasdrubale avunculo militavit. Hoc autem interfecto cum summa imperii a militibus ipsi, vix quinque et viginti annos nato, delatum esset, postquam proximo triennio totam paene Hispaniam Carthaginiensium fecit, nihil antiquius habuit, quam ut ipsis Romanis bellum inferret. Ac statim Saguntum, civitatem Romanorum foederatam, adortus vi expugnavit et delevit. Qua re cum foedus violasset, bellum a legatis Romanorum Poenis indictum est. Sed dum illi tempus legatis mittendis terunt, Hannibal magno exercitu comparato iam Pyrenaeos transgressus per Galliam Italiae appropinquabat, in quam bellum sibi transferendum esse intellexisset, ut imperio Romanorum everso capitale in eos odium satiaret. Neque diu moratus Alpes, quae Italiam a Gallia seiungunt, superat non sine

maximis difficultatibus. Nam qua via antea unus homo inermis vix repere poterat, ea cum equitatu et elephantis contendens mox in Italiam descendit. Et primum ad Ticinum amnem proelio equestri P. Cornelium Scipionem, haud multo post ad Trebiam flumen Tib. Sempronum Longum devincit. Inde per paludes Arni fluvii profectus ad Trasimenum lacum C. Flaminium consulem cum exercitu insidiis circumventum gravissima clade afficit. Quibus cladibus in summum periculum vocati quum dictatorem dixissent Romani Q. Fabium Maximum, eius opera aliquamdiu res eorum restituta est. Sed postero anno Hannibal Aemilium Paullum et Terentium Varronem apud Cannas ita divicit, ut reipublicae Romanae interitus non iam evitari posse videretur. Sed iam inde ab eo tempore cum multis de causis Hannibal minus prospere rem gerere coepit, tum quod senatus Carthaginiensium auxilia, quibus confecto prioris exercitus robore quam maxime egebat, non misit, et Hasdrubal, qui tandem ad fratrem adiuvandum ex Hispania profectus in Italiam venerat, a Romanis ad Metaurum flumen occisus exercitusque eius ad internecionem redactus est. Verumtamen plures per annos in Italia inferiore se tenuit, donec Hispania a Romanis expugnata exercituque Romano, cui praeerat P. Cornelius Scipio, in Africam misso, ut patriam suam defenderet, a civibus domum revocatus est. Itaque quamvis fremens gemensque ex Italia cessit, non imminuto in Romanos odio. Nam navi profectus quum iam in medium mare pervenisset, ad Italiae litora oculos retorsit Romanos execrans perniciemque eis minitans. Sed quum in Africam rediisset, civitatem exhaustis opibus bellum continuare non posse ratus, de pace cum

Scipione agere coepit; in colloquium igitur cum eo venit, sed conditiones pacis non convenerunt. Itaque in aciem utrimque exercitibus deductis Hannibal victus est apud Zamam, et quas conditiones antea irepudiaverant, tum coacti Carthaginienses acceperunt.

Sed tamen Hannibal in summo apud Carthaginienses honore mansit et praetor factus in eo magistratu pari se diligentia praebuit atque antea in bello fuerat. Nam nihil aliud animo agitans, quam ut bellum Romanorum quam primum instaurari posset, augendis maxime reipublicae opibus, sine quibus magnae res geri non possent, curam impendit. Itaque cum vectigalia partim negligentia dilabi, partim praedae ac divisui principum quibusdam esse videret, ita ut ne ad stipendium quidem Romanis ex foedere pendendum pecunia adesset, ipse effecit, ut non solum Romanis tributa solvi possent, sed etiam pecunia superesset, quae in aerario reponeretur. Romanos autem crescentes in dies Carthaginiensium opes sollicitos habuerunt, qua cura ut liberarentur, legatos de Hannibale Carthaginem miserunt. Vidit autem vir callidissimus eos sui exposcendi causa venisse; quare tempori et fortunae cedendum esse ratus clam navem conscendit et in Syriam profugit ad Antiochum bellum tum in Romanos molientem; nec parvo momento regi, etiamtum fluctuanti animo, adventus Hannibalis fuit ad incipiendum bellum. Qui quum iurisiurandi, quod patri dederat, non immemor prudentissimis consiliis regem in bello parando adiuvaret et in maximo apud eum esset honore, Romani id comperti legatos ad Antiochum miserunt, qui clandestinis consiliis efficerent, ut Hannibalem in suspicionem regis adducerent. Atque is postea non eandem, quam antea,

fidem consiliis eius habuit. Quo factum est, ut a Romanis superaretur pacemque ab eis accipere cogeretur. Inter pacis autem condiciones etiam haec erat, ut Hannibal Romanis dederetur. Quod veritus is tempore dato ad Prusiam, Bithyniae regem, confugit, novum Romanorum hostem quaerens. Dissidebat tum forte a Prusia Eumenes, rex Pergamenus, qui amicissimus erat populo Romano. Huius primum frangendas esse opes existimans Hannibal Prusiam in bello cum Eumene gerendo consilio et opera adiuvit. Sed etiam ad Prusiam Romani legatum T. Quinctium Flamininum miserunt de tradendo Hannibale, nusquam se ab eius insidiis tutos esse rati. Sed ipse Prusias eum tradere noluit, ne hospitium violaret, sed tamen metu adductus Romanis permisit, ut, ubicunque invenirent, caperent Hannibalem, prodito loco, ubi esse solebat. Et statim Romani domum Hannibalis armatis circumdederunt; hic vero, ubi effugiendi nullam facultatem esse vidit, ne in hostium manus incideret, veneno, quod semper secum ferebat, sumpto mortem sibi conscivit.

Ita e vita excessit vir omnium, qui contra Romanos arma tulerunt, et infestissimus et fortissimus atque voluntaria morte Romanos iis curis liberavit, quibus inde a prima pugna apud Ticinum facta hi perpetuo vexabantur, non solum tum, quum victricibus copiis praeerat, sed etiam quum imperio amisso extorris patria alienarum opum indigebat, periculossisimus eis visus.

9. Quatenus recte illud dixerit Velleius Paterculus: „Potentiae Romanorum prior Scipio viam aperuerat, luxuriae posterior aperuit“.

Quod imperium Romanum ab exiguis initiis profectum paullatim per totum fere orbem terrarum propagatum est, id tribuendum videtur non tam universo populo, quam eximiae singulorum virorum virtuti, qui neglecta re familiari, omissa valetudinis vitaeque cura, omnibus denique privatis commodis posthabitis nihil aliud spectabant, nisi ut reipublicae utiles se praeberent atque suo exemplo, quo magis nihil animos hominum commovet, cives ad imitandi studium incitarent. Tales fuerunt cum alii innumerabiles, Camillus, Fabius Maximus, Fabricius, tum Scipio Africanus et maior et minor; quorum alter imperium Carthaginiensium concussit, alter fregit. Sed quamquam uterque non solum ingenio et virtute bellica, sed etiam animi virtutibus admirabilis exstitit, alter tamen alteri omnino aequiparandus non est, quia, ut ait Velleius Paterculus, potentiae Romanorum prior Scipio viam aperuit, luxuriae posterior. Quod quid sibi velit, paullo accuratius considerare non alienum videtur.

Brevi tempore post cladem illam Cannensem, qua illata Hannibal, si victoria prudenter uti scivisset, potentiam Romanam evertere potuisset, senatui Publio Scipioni novum exercitum et imperium belli in Hispania gerendi committere placuit. Nam Romani, quum etiam in illa terra rem pessime gessissent, vehementissimo metu perculsi erant, ne Hasdrubal victor Hispanos a Romanorum societate avocatos ad suas partes perduceret aut ipse ad opem Hannibali fratri ferendam ex Hispania in Italiam

transiret atque ita rempublicam in summum periculum vocaret. Neque vero spe, quam in Scipione posuerant, destituti sunt; is enim brevissimo tempore Carthaginem novam, quo omnes fere Africae et Hispaniae opes congestae erant, expugnavit, Hasdrubalem eiusque socios magno proelio fugavit atque totam fere Hispaniam in potestatem Romanorum redegit. Neque tamen impedire potuit, quominus Hasdrubal dolo usus per Galliam in Italiam pergeret. Sed eo apud Senam devicto caesoque, postquam Romanis animus rediit, Scipio iam in ipsam Africam bellum transmittendum esse ratus, urbem repetiit, ut civibus hoc consilium probaret. Ibi ob res praeclare gestas ante annos legitimos consul factus post consulatum id consecutus est, ut ei Sicilia provincia daretur permitteretur que, ut in Africam inde traiiceret, si sine publica impensa exercitum instruxisset et parasset. Quo facili negotio comparato, quum permulti sua sponte sequerentur, quod tanto duce non ad bellum, sed ad certa victoriae praemia se ductum iri sperabant, ille in Africam profectus Masinissa adiuvante Hasdrubalem eiusque generum Syphacem adortus utriusque castra expugnavit et incendit atque captum Syphacem cum ingenti praeda Romam misit. Quae clades Carthaginiensibus tantum terrorem intulit, ut Hannibalem ex Italia ad tuendam patriam revocarent; qui fremens gemensque ac vix lacrimis temperans mandato paruit. Tum postquam clarissimi illius aetatis duces colloquendi causa congressi sunt, sed de condicionibus pacis inter eos non convenit, clarum illud apud Zamam proelium commissum est, e quo devictus Hannibal cum paucis equitibus effugit. Ita, quem multi imperii Romani finem facturum arbitrati erant, qui

parva manu innumerabiles Romanorum copias fuderat, cui ne natura quidem resistere posse videbatur, eundem P. Cornelius Scipio superavit superatoque leges imposuit. Itaque eius virtute factum est, ut Romani ab acerrimo adversario simulque ipsius libertatis periculo liberarentur neque iam reipublicae saluti timentes in perpetua essent sollicitudine. Brevi post Hannibal ad Antiochum, Syriae regem, confugit eumque, ut bellum pararet Romanis, perpulit. Decreto igitur adversus Antiochum bello quum huius gerendi cura mandata esset Lucio Scipioni, fratri Africani natu minori, is ei legatus in Asiam profectus est et tamdiu consilio operaque eum adiuvit, donec ei victoriam splendidissimam et triumphum Asiatici belli peperisset. Atque laetissima fuit Romanis clades Antiochi, non tam quod rex magnam Asiae partem eis concessit, quam propterea, quod, si victor ex eo bello discessisset, haud dubium erat, quin Antiochus suadente Hannibale bellum in Italiam translaturus fuisset.

Neque vero Romani in eo acquieverunt, quod Poeni omnibus in rebus suae voluntati obsecuti essent, sed negantes, quamdiu incolumis esset Carthago, salvam esse posse rempublicam, hanc urbem diruere statuerunt. Quare P. Cornelio Scipioni, Aemilii Paulli filio, adoptione Scipionis Africani nepoti, Africam provinciam dederunt, ut, quam urbem avus concusserat, eam nepos funditus everteret. Itaque Scipio exercitum nulla mora facta Carthaginem admovit eamque oppugnare coepit; neque diu cives, quamvis fortiter omni virium contentione eam defenderent, diu resistere potuerunt, sed mox expugnata et solo aequata est. Paullo post idem Scipio magnam gloriam assecutus est deleta Numantia, opulentissima tunc

Hispaniae urbe, quae Celtiberorum praesidio validissimos exercitus Romanorum per novem annos non modo non sustinuerat, sed etiam foedissimis cladibus affecerat. Quam urbem Scipio iterum consul factus, cum Hispania citerior ei provincia data esset, postquam exercitum ad severissimam disciplinam revocavit, obsidione quindecim mensium cepit atque Celtiberorum ferociam fregit.

His tantis rebus gestis quum optime de republica meritus sit eiusque potentiam non mediocriter auxerit, iure aliquis miretur, quomodo Velleius Paterculus dicere potuerit, avum potentiae, hunc luxuriae viam aperuisse Romanis? An quum milites severa disciplina contineret, ipse luxuriae et intemperantiae deditus fuit? Immo virum eum fuisse omnes scriptores consentiunt virtutis honestatisque amantem, maioribus vitae integritate et simplicitate minime disparem, ab omni libidine et luxuria abhorrentem, divitiarum adeo non appetentem, ut, quum e Carthaginis et Numantiae spoliis maximas opes sibi parare potuisset, nihilo locupletior esset post illarum urbium excidium, quam antea. Verumtamen, quamquam tantae erant eius virtutes, tamen iure quodam Velleius dixisse putandus est, eum luxuriae viam aperuisse. Nam quod Metellus deleta Carthagine in senatu contenderat, illam victoriam Romanis plus mali quam boni attulisse, id quam verum esset, postea apparuit. Exstincta enim illa aemula imperii Romani cunctisque inde maribus ac terris patefactis, qui labores, pericula, asperrimas res toleraverant, ut publicam libertatem et dignitatem defenderent, iisdem remoto metu, ut Sallustii verbis utar, „mox otium, divitiae, optandae aliis, oneri miseriaeque fuerunt. Igitur primo pecuniae, deinde imperii cupido crevit: ea quasi materies omnium

malorum fuit. Namque avaritia fidem, probitatem ceterasque artes bonas subvortit, pro his superbiam, crudelitatem, deos negligere, omnia venalia habere edocuit. Haec primo paullatim crescere, interdum vindicari; post ubi contagio quasi pestilentia invasit, civitas immutata et imperium ex iustissimo et optimo ita crudele intolerandumque factum est". Apparet igitur, quanta morum mutatio apud Romanos fuerit inde a confecto tertio bello Punico. Romani quum antea virtute, gloria, honore cum omnibus gentibus certavissent, tum libidinibus et intemperantia certare coeperunt. Neque iam, ut maiores, magistratus petebant communis utilitatis causa, sed ut quaestum facerent remque familiarem suam augerent, quo facilius cupiditates satiarent; neque, ut antea, populus in mandandis honoribus id spectabat, quantum virtutis, quantum ingenii ad rempublicam adiuvandam petentes afferrent, sed eos creabat, qui maximis largitionibus favorem suum captarent. Itaque mox pro labore desidia, pro continentia libido, pro pudore, pro abstinentia, pro innocentia audacia, largitio, avaritia vigebant. Maxime autem mores hac re corrupti sunt, quod, quum exercitus populi Romani in externis provinciis diutius morarentur, ut in Graecia et Asia, peregrina luxuria Romam invecta est, cuius laqueis, si semel cives irretiuntur, praecipites feruntur ad interitum. Romani igitur uti coeperunt Asiatico conviviorum apparatu, pretiosa veste stragula aliaque magnifica supellectile et varia ludicra cantuumque oblectamenta adhibere. Tum primum coqui maximo pretio haberi coepti sunt, et athletarum certamina, leonum pantherorumque venationes populo spectacula praebebant. Atque luxuriam semel ortam mox alia mala secuta sunt,

quae aegram civitatem etiam magis corrumperent et postremo omnia pessumdarent.

Quae omnia si consideramus, quis neget iure illud a Velleio dici Scipionem Africanum minorem luxuriae viam aperuisse Romanis? Quamquam id minime putandus est dedita opera aut sciens, quanta ex rebus a se gestis pestis oritura esset, fecisse; immo is erat, qui, si providere eam potuisset, ipse consilio Carthaginis delendae imperiique Romani longe lateque propagandi obstiturus fuisset; sed evitari non potuit, quod fato destinatum erat, ut imperium Romanum ad tantam potentiam et magnitudinem cresceret, quae moderate ferri vix posset et futuri exitii quasi semina contineret. Quod exitium praesagiisse videtur Africanus, qui in ruinis deletae Carthaginis sedens obortis diro urbis flagrantis aspectu lacrimis, de sua patria sollicitus, versus illos Homeri recitasse dicitur:

Ἔσσεται ἦμαρ, ὅταν ποτ' ὀλώλῃ Ἴλιος ἱρή
Καὶ Πρίαμος καὶ λαὸς ἐυμμελίω Πριάμοιο.

10. Romanos bis salutem debuisse Arpinatibus.

Multae inveniuntur urbes, quae, quamvis exiguae sint, tamen magnam assecutae sunt gloriam et famam propterea, quod viri ingenio et virtute insignes ex illis profecti sunt et qui res magnas omniumque admiratione dignas gesserunt. Quarum in urbium numero etiam Arpinum, parvum illud oppidum Volscorum in Latio situm, habendum est, unde originem traxerunt summi illi clarissimique viri, Marius et Cicero. Qui cum rempublicam

Romanam e maximis periculis eripuerint, iure dici potest Romanos bis salutem debuisse Arpinatibus.

Iam quomodo uterque rempublicam servaverit, ut intellegatur, age nunc paullo uberius ea, quae gesserunt, explanemus.

Atque Marium quidem patriam ab illo hoste, quo haud scio an nullus unquam periculosior ac gravior exstiterit Romanis, summa cum gloria defendisse, quis est qui nesciat? Cimbri enim et Teutoni, feroces illae Germaniae gentes, quae ferro ignique omnes, per quas vagabantur; terras vastabant, et quibus Romani, quamvis forti essent animo longeque barbaros illos rei miltaris scientia et arte belli superarent, multos per annos resistere non potuerant, Mario duce a legionibus Romanis victi atque exstincti sunt. Cimbri enim postquam anno centesimo decimo tertio a Chr. n. apud Noreiam in montibus Stiriae, quae nunc vocatur, Papirium Carbonem consulem fugaverunt, Rhenum transgressi in Galliam, qua ad meridiem vergit, quam initio petiisse videntur, perrexerunt, receptis ad se cum aliis Germaniae, Galliae, Helvetiae populis, tum Ambronibus et Tigurinis, fortissima Alpium gente. Ibi cum domicilium constituere vellent, a Romanis agros petierunt; quibus denegatis, quod precibus impetrare non poterant, id vi et armis quaerere cum statuissent, quatuor deinceps exercitus Romanorum devicerunt atque ad internecionem redegerunt. Quo facto, ut tota Italia, ita civitas Romana adeo perculsa erat, ut etiam multo post magnus timor Cimbrici terroris nomine significaretur. Sed hostes hoc tempore non usi — quid causae fuerit ignotum est — averso ab Italia itinere in Hispaniam contenderunt Romanis spatio se reficiendi dato. Hi tum

in C. Mario omnem spem posuerunt, viro superbo et aspero illo quidem, sed manu forti et rei militaris perito, qui, quantis esset virtutibus imperatoriis, bello cum Iugurtha in Africa gesto satis comprobaverat. Is exercitu collecto Alpes transgressus, cum in Galliam ad Rhodanum flumen duxisset, ibi castra munivit. Neque vero prius cum hostibus, qui in Galliam redierant, decertavit, quam pristinam disciplinam militarem, qua diu neglecta tanta vis mali civitatem oppresserat, restituisset, castrisque quietus se tenuit, donec milites et aspectui ingentium barbarorum terribilique eorum voci assuefecisset et occasionibus rei bene gerendae observatis parvis momentis levium certaminum vincere docuisset. Qua cunctatione defessi hostes bipartito agmine, Cimbri adversa ripa Rhodani fluminis per Helvetiam et Teriolensem agrum Italiam petiverunt, Teutoni, postquam aliquamdiu in castris Mario oppositis manserunt, cum eum evocatum pugnam detrectare viderent, ipsi quoque profecti praeter castra eius copias suas transduxerunt, ut per Alpes maritimas in Italiam invaderent. Sed ille a latere secutus, cum ad Aquas Sextias ventum esset, loco Romanis acquissimo adortus atrocissimo proelio eos devicit; tum contra Cimbros profectus, quos Catulo, altero consule, repulso iam per fertiles Italiae superioris agros diffundi audiverat, apud Vercellas in campis Raudiis tanta clade affecit, ut sexaginta millia barbarorum eo die capti, alterum tantum occisum esse tradatur. Quo facto cum Romani his tantis victoriis rempublicam, de cuius salute iam desperaverant, servatam viderent, Mario nomen tertii conditoris urbis dederunt.

Marius igitur virtute bellica rempublicam Romanam

a saevissimis hostibus defenderat: alter Arpinas, M. Tullius Cicero, prudentia et vigilantia, qua coniurationem Catilinariam patefecit et oppressit, e maximo periculo eripuit. Catilina enim, homo audacissimus foedissimisque sceleribus pollutus, qui iam puer omnibus voluptatibus ac libidinibus se dederat, ita ut mox fama et pudore attritis animus eius ad atrocissima flagitia impelleretur, quique, ut ait Cicero, natus in paupertate, educatus in stupris, carroboratus in caede civium omnem humanitatem exuisse videbatur, magnum numerum nefariorum hominum allexerat et secum coniunxerat, quorum auxilio adiutus consulatum petiit. Sed ab Africanis de repetundis accusatus, quum impeditus esset, quominus intra legitimos dies profiteretur, id quod legibus non posset, vi et armis assequi consilium cepit. Itaque cum aliis sui similibus, quos in tam corrupta civitate plurimos invenit, coniurationem iniit ad rempublicam opprimendam. Neque quicquam prius quam consules plurimosque senatores, quos consiliis suis obstare sciebat, ferro e medio tollere paravit. Atque hoc pessimum facinus patratum esset, nisi Catilina coniuratis ante curiam stantibus signum dare maturasset, priusquam armati frequentes convenerant. Sed quamvis manifestum esset, quid moliretur, tamen nemo eum propter hanc coniurationem in ius vocare ausus est. Cumque sub finem anni de Africa provincia impudenter expilata reus factus iterum impeditus esset, quominus consulatum peteret, his omnibus rebus exacerbatus, iam extrema audere constituit, ut proximo anno consul fieret. Quod cum fieri non posse intellexisset, nisi eversa republica, sociorum numerum auxit omnesque, qui aut flagitio aut paupertate aut conscientia agitabantur, ad

hoc incredibile foedus sceleris adscivit. Nihil enim aliud moliebatur, quam ut urbem incendio deleret, optimum quemque trucidaret, Italiam devastaret atque in omni rerum perturbatione afflictis suis rebus moderetur. Sed in hoc tanto periculo boni cives reipublicae non defuerunt, praesertim cum perniciosa eius consilia ita celari non possent, ut non incerti de iis rumores per urbem manarent. Itaque Romani sequenti anno non Catilinam, sed Ciceronem consulem creaverunt. Qua ille repulsa adeo motus non est, ut audaciam suam atque insaniam deponeret, ut eam confirmaret et plura in dies agitaret. Impigre novas vires sibi adiunxit, locis idoneis per totam Italiam arma paravit pecuniasque ad Manlium quendam misit, qui in Etruria exercitum perditissimorum hominum colligebat et postea belli faciendi princeps fuit. Ipse Romae mansit, ut Ciceronem, quem consiliis suis officere videret, interimeret. Sed is, de omnibus eius consiliis per Fulviam quandam edoctus, in senatu ea, quae de machinationibus coniuratorum compererat, patefecit, cumque ipsum Catilinam in subselliis sedentem videret, huius rei indignitate adeo commotus est, ut gravissima oratione in eum inveheretur. Qua efficit, ut ille pauca cum familiaribus suis collocutus proxima nocte ad Manlium in Etruriam se conferret, relictis in urbe sociis, qui clam patriae bellum pararent. Hi autem mox comprehensi et in carcere necati sunt. Catilina autem ipse paullo post atroci proelio apud Pistoriam facto devictus cecidit. Itaque cum Cicero gravissima peste patriam liberasset atque pacem domesticam restituisset, hoc consecutus est, ut non solum liberator ac vindex reipublicae appellaretur, sed etiam honorificentissimo nomine patris patriae ornaretur.

Ex his, quae breviter exposuimus, satis apparet bis Romanos salutem debuisse Arpinatibus, quo tempore summum periculum erat, ne respublica funditus everteretur. Sed non diu horum taliumque virorum virtute interitus reipublicae retardari potuit. Nam iam inde a Marii temporibus ea gravissimis malis laboravit, luxuria et avaritia civium, quibus vitiis fieri non potuit, quin fundamenta imperii labefactarentur et civitas in dies magis ad interitum rueret.

II. Cn. Pompeium et secundam fortunam et adversam praeter ceteros mortales expertum esse.

Admirabilis quaedam ac propemodum dixerim immanis est rerum humanorum vicissitudo atque inconstantia, praeclareque illud ab Horatio dictum est, nullum deum Fortuna in homines esse crudeliorem. Nam quocunque te animo et cogitatione converteris, qui secundissima fortuna usi sunt, eosdem saepissime de summo felicitatis potentiaeque gradu deiectos esse videbis. Quodsi unquam vir fuit, in quo id manifesto perspici posset, profecto luculentissime declaratum est Cn. Pompeii exemplo. Nam vitam eius gloriosissimam turpissima mors secuta est. Quod quo magis appareat, de vita eius rebusque gestis paullo accuratius disseram.

Iam primum, si quid etiam nobilitati generis tribuendum esse putamus, de Pompeio vere affirmari potest eum splendidissima et illustrissima familia natum esse. Patre enim usus est Cn. Strabone, cuius partes in administranda republica haud exiguae fuerant, matre Lucilia stirpis senatoriae. Accedit, quod tanta erat corporis pulchritu-

dine, ut ex ipso eius adspectu imago ingenitae virtutis emicaret. Patre mortuo quum non melius se rebus suis consulturum esse perspexisset, quam si ad Sullam, qui tunc temporis rerum potitus erat, se applicaret, ex agro Piceno, qui totus paternis clientelis refertus erat, tres legiones conscripsit, quibus Sullam in delendis Marianis diligenter adiuvit. Capto enim interfectoque in Sicilia Carbone in Africa quoque Marianas partes consectatus Cn. Domitium Ahenobarbum victum occidit, Numidiam fugato Hiarba Hiempsali tradidit. Quibus rebus tam praeclare gestis factum est, ut, cum in Italiam rediisset, non solum ab ipso Sulla cognomine Magni ornaretur, sed etiam triumphus invito quidem Sulla ei concederetur, quamquam nullo maiorum exemplo hoc receptum erat, ut, qui neque praetor res gessisset neque consul neque dictator, triumphans in urbem inveheretur.

Sed mox maioris etiam bellicae laudis adipiscendae occasio ei oblata est. Cum Sertorio enim bellum gerendum erat, qui sub adventum Sullae ex Italia in Hispaniam aufugerat eamque summa prudentia administrabat. Is, qua erat singulari rei militaris scientia animique constantia, bellum Romanis hac re periculosius reddidit, quod ex Hispania legatos ac litteras ad Mithridatem misit, ut, quum duobus in locis disiunctissimis maximeque diversis uno consilio a binis hostium copiis bellum terra marique gereretur, Romani ancipiti contentione districti de imperio dimicarent Quamquam igitur Caecilius Metellus contra eum rem bene gesserat, tamen Sertorius per tres fere annos Romanis restitit, donec tandem singulari prudentia et felicitate Pompeii hoc periculosum bellum confectum est. Is enim propraetor in Hispaniam

missus, postquam aliquamdiu vario Marte cum illo pugnavit, hac in re fortuna secunda usus est, quod Sertorius auctore Perperna in convivio subito occisus est. Atque hic quidem cupide imperium arripuit, sed mox a Pompeio victus et occisus est,

Secutum est atrox et taetrum bellum servile, in quo iterum Pompeius eximiam fortunae favorem expertus est. Nam quum ex Hispania in Italiam rediret, reliquias servorum ad quinque millia, qui a M. Licinio Crasso devicti Galliam petebant, excepit ac delevit. Quo factum est, ut ipsi confecti belli gloria tribueretur, quam rectius sibi vindicare poterat Crassus. Itaque Romam reversus secundum triumphum eques Romanus egit nec ita multo post in sequentem annum consul designatus est.

Iam vero proximo bello, quod cum piratis gessit, quantae eius essent virtutes imperatoriae, luculentissime apparuit. Tum enim piratae omnia maria ita infesta reddebant, ut ne Romanis quidem, qui totum fere orbem terrarum vicissent, navigatio tuta esset. Nam adiunctis cum aliis populis maritimis, tum Syris, Pamphylis, Cretensibus aliisque praedae cupidis totum mare internum a Syriae oris usque ad fretum Gaditanum tanto terrore impleverunt, ut nemo mari navigare posset, quin aut mortis aut servitutis periculum subiret. Atque in ipso Italiae litore per hos annos nullus locus tam firmum praesidium habebat, ut ab eis se tutari posset. Urbes et villas vastabant, hominum pecorumque praedam agebant ipsamque urbem paene commeatu intercluserant. Hoc bellum tam turpe, tam late disseminatum et dispersum, quod tres fortissimi imperatores frustra gesserant, unius Pompeii virtute singulari confectum est et tanta celeritate, ut, quod

bellum nemo arbitraretur aut ab omnibus imperatoribus uno anno aut omnibus annis ab uno imperatore confici posse, exeunte hieme appararet, ineunte vere susciperet, media aestate conficeret. Neque prius arma posuit, quam Ciliciam, quae quasi patria praedonum fuerat, in provinciae formam redegisset.

Atque dum in Cilicia moratur, lege Manilia bellum contra Mithridatem gerendum ei defertur. Mithridates enim, vir summa industria et prudentia, cum iam saepe antea cum populo Romano contendisset, eo ipso tempore bellum renovarat. Neque is hostis non timendus erat. Nam non solum in Ponto parteque Cappadociae dominabatur et ingentem exercitum habebat omnibusque rebus instructum, sed etiam multorum regum et populorum copiis adiuvabatur. Accedebat, quod, ut supra diximus, Sertorio belli socio utebatur. Quo factum est, ut imperatores Romani, qui cum eo pugnaverant, insignia victoriae, non victoriam ipsam reportarent et ipse pulsus superatusque regnaret. Atque civitatem Romanam in tantum discrimen adduxit, ut senatus populusque imperium, quod antea Lucullus, vir fortissimus, et post eum Glabrio gesserat, ad alium deferendum esse censeret. Neque quisquam ad id gerendum magis idoneus inventus est quam Cn. Pompeius. Atque is nocturno proelio Mithridatem devicit, castris exuit, exercitum paene occidione occidit. Bello finito magnam Asiae partem Romanorum potestati subiecit. Pontum enim et Syriam in provinciae formam redegit et in Iudaeam ab Hyrcano et Aristobulo, fratribus de pontificatu certantibus, arcessitus Iudaeos tributarios fecit.

His rebus gerendis cum triennium prope insumpsisset, Romae splendidissimum triumphum egit. Neque quisquam

ea aetate gloria et potentia eum aequabat. Quid? quod laus eius tam longe lateque dispersa erat, ut imperii Romani finibus terminaretur neque ullus esset locus, in quo non fortitudinis et consilii eius expressa vestigia exstarent. Neque tamen Pompeius in hoc summo gloriae fastigio permansit. Nam mox alius exstitit Romanus, et ingenio et sollertia superior, ad quem omnes velut ad orientem solem oculos et animos convertere coeperunt, C. Iulius Caesar. Inde ab eo tempore Pompeii fortuna se inclinare coepit. Cum ob popularis factionis studium senatoribus se infestum esse videret, ut auctoritatem suam labantem firmaret, cum Caesare et Crasso societatem illam iniit, cui postea nomen primi triumviratus inditum est. Sed ea societas exitio ei fuit. Occiso enim a Parthis Crasso et mortua Iulia, Caesaris filia, quae Pompeio nupta concordiae inter utrumque servandae fuerat, aemulatio inter eos orta est. Nam Pompeio Caesaris opes, Caesari Pompeii apud senatum, quem sibi reconciliaverat, auctoritas suspecta erat. E qua aemulatione postea bellum civile ortum est. Nam cum Caesar Gallia tota bello expugnata in Italiam rediens maxime Pompeio auctore a senatu iussus esset exercitu dimisso privatus in urbem venire, tantum afuit, ut eius voluntati obtemperaret, ut copias suas Rubiconem, finem imperii, traiiceret Romamque infesto agmine peteret. Pompeius autem, cum nihil ad bellum gerendum parasset, cum maxima parte senatorum universaque nobilitate ex urbe profugit et Brundisium se contulit indeque in Graeciam traiecit. Italia deinde, Sicilia, Sardinia subactis legatisque Pompeii, Afranio et Petreio, in Hispania superatis, Caesar Romam rediit et tam benevole a populo exceptus est, ut Cicero ad Atticum

scriberet: „Vide, quam conversa res sit: illum, quo antea confidebant, metuunt, hunc amant, quem timebant.“ Rebus deinde in urbe pro tempore compositis Caesar ad persequendum Pompeium in Graeciam transiecit. Ad Dyrrhachium quum diu castris se tenuissent, primo proelio inter se contenderunt; e quo Pompeius superior discessit, sed nocte interveniente fugatos persequi noluit, qui propter frumenti inopiam in Thessaliam conversi mox nova pugna apud Pharsalum commissa Pompeii copias maxima clade affecerunt. Ipse profugiens cum duobus Lentulis Aegyptum petiit, sperans se propter beneficia in patrem eius Ptolemaei, qui tunc regnabat, collata eum benevolum amicum et adiutorem inventurum esse. Sed tantum afuit, ut benigne ab eo exciperetur, ut ex oneraria, qua vehebatur, in eam navem, quae obviam venerat, transcendens iussu regis a servo iugularetur.

Talis fuit exitus viri clarissimi, qui quondam summo fortunae beneficio usus a populo Romano singularibus ac paene inauditis honoribus ornatus fuerat. Adeo in hoc viro discrepuit fortuna, ut, cui antea ad victoriam terra defuerat, tum ei deesset ad sepulturam. Tanta autem humanarum rerum fragilitas et inconstantia, quanta apparet ex vita Pompeii, qui praeter ceteros fortunam et secundam et adversam expertus est, admonere nos debet, ne externis bonis nimis confidamus, sed unum illud bonum, quo nullum certius, firmius, constantius est, expetamus, virtutem.

12. De primo qui dicitur triumviratu.

Aucta populi Romani potestate finibusque imperii in omnes partes propagatis etiam omnia alia creverant, quae

hominibus praeclara et expetenda videntur, divitiae, copiae, potentia, auctoritas apud ceteras nationes, magnificentia, morum elegantia, doctrina. Sed una imminuta erat, quae nulla alia re compensari potuit, virtus civium. Hinc perniciosa illa ambitio, hinc nimius sui amor honorumque et potentiae cupiditas, qua optimus quisque impellebatur, ut omnia divina et humana iura perverteret propter eum, quem sibi finxerat opinionis errore, principatum. Ita enim iam tum Romani a maiorum virtute desciverant, ut, cum maiores summo patriae amore inflammati suam semper utilitatem communi saluti postposuissent eique divitias, gloriam, vitam denique ipsam obtulissent, hi nihil antiquius haberent, quam ut sibi suisque commodis consulerent neque quicquam sibi non licere putarent, dummodo potentiam et gloriam suam augerent. Tali cupiditate incitatus Iulius Caesar dixit se in parvo vico principem esse malle quam Romae secundum.

Iam vero cum multi essent, qui enitescerent sive ingenio et virtute sive externorum bonorum copia, divitiis, rerum gestarum gloria vel doctrina, senatusque esset regum instar, dubium erat, quis omnium dominus futurus esset. Multi volebant, unus esse poterat. Quo factum est, ut singuli se consociarent ad communem utilitatem tuendam, quamquam de sua quisque futura magnitudine cogitabat, et triumviratus agerent, unum illud post hominum memoriam societatis genus trium nobilium, qui praeter integritatem morum nulla re non excellebant.

Atque primum quidem triumviratum inierunt Caesar, Pompeius, Crassus. Caesar, inter summos viros, quorum memoria ad nos pervenit, maxime insignis et ingenio, doctrina, virtute non minus dignus, quam idoneus, qui

ingentem reipublicae Romanae molem regeret, dummodo senatorum ii, qui auctoritate et potentia praeter ceteros florebant, a quoquam se regi passi essent; Pompeius, multis splendidisque victoriis ab hostibus Romanorum reportatis bellica abundans gloria, sed non tanta celeritate ingenii sollertiaque, quanta Caesar, cui omnino par non erat; Crassus denique ingenii virtute utroque multo inferior, sed divitiis praepollens. Hi ut societatem inirent, inprimis Caesaris opera factum est. Is enim cum ex Hispania rediisset, consulatum petebat, quem ut assequeretur, se Pompeii, cuius maxima tum erat apud populum auctoritas, auxilio carere non posse intellegeret. Quem cum a patribus dissidere videret, quod hi cunctabantur non solum ea, quae ille in Asia devicto Mithridate constituerat, rata facere, sed etiam militibus agros a Pompeio iis promissos assignare, Caesar, ipse quoque senatui infestus, cum eo se coniunxit; cumque parum munitum se esse arbitraretur, si inter Pompeium et Crassum, etsi uterque sibi amicus esset, veteres inimicitiae ex consulatu, quem summa discordia simul gesserant, manerent, nihil antiquius habuit, quam ut eos inter se reconciliaret. Quo facto clara illa societas a tribus his viris inita est, qua inter se pacti sunt, ne quid in republica fieret, quod uni ex ipsis displicuisset, quam societatem iureiurando confirmaverunt atque initio, quantum fieri poterat, occultabant. Et paullo post Caesar, quo magis Pompeium sibi devinciret, Iuliam filiam ei in matrimonium dedit. Qua virium coniunctione cum triumvirorum potentia tanta esset, nihil ut eis resistere posse videretur, tamen eis adversabantur aliquamdiu duo viri, libertatis et reipublicae servandae studiosissimi: Cato, severis moribus, maxima animi con-

stantia, virtute vere Romana, qui, cum ex gente meliore iam pridem exstincta tanquam in alienam aetatem translatus esse videretur, eam ipsam ob causam minus apud aequales valebat, et Cicero, vir ille patriae amantissimus, honeste et sentire et facere assuetus, sed temporibus nimis cedens et oratione praestantior quam constantia. Sed frustra hi contra unius dominationem nitebantur. Atque Ciceronem quidem triumviri, quum gratia civium ita florere aminadverterent, ut ambitiosis ipsorum consiliis obstare posse videretur, ita removerunt, ut Clodium, hominem turbulentum et audacissimum, subornarent, qui eum accusaret, quod cives Romanos indicta causa interfecisset. Quam accusationem Cicero initio quidem neglexit, sed mox, cum a principibus reipublicae se derelictum videret metueretque, ne, si in urbe maneret, ingens caedes civium futura esset, satius duxit, adversariorum consilia et insidias antevertere et sua sponte in exilium ire. E quo quamquam non ita multo post revocatus est, tamen nunquam pristinam in republica auctoritatem recuperavit. Nam qui pennas ei inciderant, noluerunt eas renasci. Similiter Cato triumvirorum opera ex urbe ablegatus est. Ita Pompeius et Caesar — nam Crassus in Asia pugna adversus Parthos commissa ceciderat — potentia adeo praeter ceteros eminebant, ut suo arbitrio omnia regerent neque cuiquam, nisi qui ipsorum consiliis faveret, aditus ad honores pateret. Sed mox inter ipsos bellum civile, cuius semina iam diu sparsa erant, exarsit.

Quod bellum, quomodo gestum sit, accuratius enarrare, alienum hoc loco videtur. Satis est hoc commemorasse, Caesarem ex hoc certamine superiorem discessisse et Pompeio in Aegypto occiso unum relictum esse, qui

rerum potiretur. Is etsi regio nomine carebat, tamen revera dominus Romanorum factus est. Sed erant etiam tum, qui pristinae libertatis memores rempublicam restituere conarentur. Qui cum non intellegerent, nationem ita iam a veterum virtute descivisse, ut libertatem ferre non posset, coniuratione facta ferro impediverunt, quominus Caesar factis comprobaret se, si quemquam, summo imperio dignum esse. Sed quamquam Caesar coniuratorum pugionibus succubuit, tamen libertas renata non est. Secuti sunt alii, qui dominationem affectarent, alius alio deterior et corruptior, donec postremo stirps Caesaris exstincta est.

13. Calamitas virtutis occasio est. (Chrie.)

In eorum scriptorum numero, qui non solum ingenii praestantia, copia doctrinae, litterarum varietate insignes exstiterunt, sed etiam publica dignitate, fortunae vicissitudine, denique tristissimo vitae exitu et apud aequales et apud posteros nobilitati sunt, non ultimum locum obtinet L. Annaeus Seneca, M. Annaei Senecae rhetoris filius. Sed maximam gloriae, qua floret, partem consecutus est libris, quos de philosophia scripsit, quibus praecipue, quanta sit Stoicae disciplinae vis ad omnes vitae humanae rationes, accurate diligenterque exponit. Qui libri etsi ob nimis comptum et calamistris quasi iniustum dicendi genus multis minus probantur, tamen pulcherrimis saluberrimisque praeceptis et sententiis, quibus quasi luminibus distincti sunt, ita legentium animos oblectant, ut mirum esse non possit, quod Seneca omnibus temporibus multos habuit sui studiosos. Atque in his senten-

tiis, quarum haud paucae ita placuerunt, ut in proverbiorum prope consuetudinem venerint, etiam illa est, quae in omnium ore versatur: „Calamitas virtutis occasio“ (de provid. c. 4.)

Quae sententia quid sibi velit, non est in obscuro. Apparet enim hoc dici, res adversas, quibus qui affligantur, maxime dolere atque angi soleant, tamen etiam saluberrimas esse posse hominibus, propterea quod ad multas virtutes, quibus ii, qui in secundis semper rebus versentur, plerumque careant, impellant atque instigent.

Quod verissimum esse nemo non facile intellegit. Calamitates enim non solum leniores illas virtutes, quibus qui praediti sunt, viri boni appellantur, temperantiam, beneficentiam, pietatem erga Deum aliasque, quae animo humano maximo sunt ornamento, excitant atque augent, contra turpissima illa vitia, superbiam, arrogantiam, impietatem prohibent aut exstinguunt, sed etiam, quod multo maius est, homines ad res fortiter strenueque gerendas inflammant, quoniam eos cogit, ut omni virium contentione obstantes difficultates superent, pericula imminentia evitent, meliorem rerum condicionem reducant. Itaque inprimis ex rebus adversis efflorescunt fortitudo et constantia. An putamus eas virtutes nasci et exerceri posse in rebus prosperis atque ad voluntatem nostram fluentibus? Deinde eis, qui e paupertate et miseria se emergere fortunamque suam corrigere velint, prudentiam, diligentiam, sollertiam opus esse, quibus virtutibus ii, qui omnium rerum copia affluunt, carere se posse putant, facile intellegitur; denique quo maiore miseria homines circumveniuntur et quo magis necessitate ad agendum impelluntur, eo magis

omnes ingenii vires et facultates intenduntur, exercentur, perficiuntur.

Dicet fortasse quispiam, multos calamitatibus ita opprimi, ut animum abiciant, ut ad omnium rerum desperationem adducantur, ut ad turpissima vitia et scelera descendant. Et recte hi quidem. Sed non cogitamus hoc loco de infirmis illis contemptisque hominibus, qui nihil in se opis habent ad superandam fortunae iniquitatem, qui feminae potius, quam viri appellandi sunt, qui ea sunt naturae humilitate et pravitate, ut, quod via virtutis se assequi posse diffidant, id malis artibus efficere conentur; cogitamus de iis, qui tales sunt, quales esse debent viri vere laudandi, dignitatis humanae memores, honestatis virtutisque appetentes. Hi, quemadmodum arbores, quarum rami nimis luxuriantes falce amputantur, maiora incrementa capiunt et uberiores melioresque fructus ferunt, ita ex ipsis damnis malisque firmiores fortioresque evadunt atque ad optima quaeque et utilissima suscipienda et perficienda incitantur.

An putamus omnes illos omnium temporum viros praeclaros, quorum nomina ad posteritatis memoriam propogata sunt, unquam tantam gloriam consecuturos fuisse, nisi eis aut suis aut reipublicae, in quibus versabantur, rebus adversis et periculis occasio oblata esset comprobandi, quid viribus suis possent efficere? Mitto Herculem, Theseum, omnes illos heroes, quos constat sive ipsorum fortuna adversa sive publica miseria ad ea, quae magna et praeclara gesserunt, adacta esse; non loquor de Achille, Aiace, Ulysse ceterisque viris fortissimis, qui totum orbem terrarum nominis sui gloria impleverunt, quod nunquam assecuti essent, nisi funestum

illud bellum Troianum exarsisset. Venio ad populum Graecorum, cuius res gestae, quantam vim habeant gravia tempora et bella cum ad omnium virtutum igniculos cliciendos, tum ad animos inflammandos et ingenia acuenda, luculentissime declarant. Nam quid aliud vires Atheniensium, qui antea adeo non excellebant aut virtute bellica aut litterarum artiumque studiis, ut quasi in tenebris abditi laterent, tanquam e sommo excitavit, nisi periculosa bella Persarum? Ad quae feliciter gerenda cum omnes virium nervos intendissent, ne Graecia barbarorum iugum subiret, nonne factum est, ut mox tantam apud omnes civitates gloriam et auctoritatem adipiscerentur, ut totius Graeciae principatus ad eos deferretur?

Quid vero dicam de Romanis, quibus, ut rectissime ait Scipio apud Livium (l. XXVI, 41), ea fato quodam data erat sors, ut magnis omnibus bellis victi vincerent? Omnium profecto, quae magna et praeclara fecerunt, nihil maius, nihil praeclarius est, quam quod nullis calamitatibus profligati, nullis cladibus fracti, nullis periculis territi eo semper fuerunt animo, ut ne tum quidem de salute sua desperarent, quum omnibus locis pulsi superatique hostes in suis agris praedantes atque ipsis urbis moenibus instantes videbant. Quod luculentissime apparuit bello Punico secundo. Nam cum ab Hannibale tot tantasque clades accepissent, ut nunquam ex iis respirare ac reficere se posse viderentur, tantum aberat, ut animo deficerent, ut, quo magis ab hostibus premebantur, eo fidentiore animo resisterent et omnes fortunas vitamque ipsam quam libertatem et dignitatem mallent amittere. Atque hoc animo forti et ad perferendas calamitates obdurato factum est, ut Romani postremo ex hoc bello dis-

criminis pleno victores discederent. Iure igitur Horatius Romam comparat cum ilice; nam

> Duris ut ilex tonsa bipennibus
> Nigrae feraci frondis in Algido,
> Per damna, per caedes ab ipso
> Ducit opes animumque ferro.

Satis mihi multa attulisse exempla videor, quibus verum esse quod proposuimus planius intellegeretur: restat, ut gravissimorum testium in eam rem sententias ac iudicia proferam. E quibus illud eiusdem Senecae maxime huc pertinere mihi videtur, quod in l. de prov. c. 2 posuit, marcere sine adversario virtutem, et quod Appium Claudium crebro dicere solitum tradunt (Val. Max. VII. 2, 1), negotium populo Romano melius quam otium committi. Nimirum negotia civitati committuntur, non quum omnia quieta et pacata sunt, sed quum rebus adversis et calamitatibus in periculum ac discrimen adducitur. Hoc igitur ille dixisse mihi videtur, Romanis multo esse utilius, multis magnisque bellis implicari atque etiam cladibus interdum affici, quam si eis semper in otio partis frui liceret, quod praepotentes civitates rerum agitatione ad virtutem excitari et nimia quiete populos ad inertiam delabi animadverterat. Prudentissima etiam ac gravissima mihi videtur illa vox Q. Metelli deleta Carthagine in senatu dicentis, se nescire, utrum victoria illa plus boni an mali attulisset, quippe quae ei, quantum restituta pace profuisset, tantum remoto Hannibale nocuisset. Nam eius in Italiam transitu obdormiscentem populi Romani virtutem excitatam esse, et periculum esse, ne a tam periculoso aemulo liberatus in eundem somnum recideret.

Ex his, quae dixi, satis intellegi posse puto, quam falso homines querantur, quod haec vita molestiarum la-

borumque plena sit, et quam parum naturam humanam cognitam habeant, si eam sine calamitatis miseriaeque stimulo ad summa, quae ei assequi licet, pervenire posse putent. Immo laetemur credamusque bene nobis consultum esse velle divinam providentiam, si malis periculisque non vacemus; nisi forte tam stulti sumus, ut vitam facilem commodamque, sed ingloriosam difficili ac molestae, sed bona spe in posterum praelucenti et omnibus bonis cumulatae praeferamus.

14. Fortuna plerumque eos, quos plurimis beneficiis ornavit, ad duriorem casum reservat.

Et rerum naturam et vitam humanam si contemplamur, nihil sub coelo certum ac stabile, sed omnia aequa lege vicissitudini obnoxia esse videmus. Arbores stirpesque crescunt et pereunt, opulentissimae urbes subito vel incendiis vel inundationibus exstinguuntur, maxima imperia, quae in perpetuum mansura videntur, omnium opinione celerius delentur. Qua vicissitudine ne homo quidem, omnium ille rerum quasi princeps, liber est. Nam etiamsi sunt, qui maximis divitiis instructi summisque honoribus ornati nullum a fortuna vulnus accipere posse videntur, tamen caveamus, ne in eum errorem inducamur, ut certi ac firmi quicquam in rebus humanis esse putemus; rarissime enim ulli homini contigit, ut secundis rebus usque ad extremum spiritum perfrueretur. Immo vel potentissimi reges, quamquam plurimas validissimasque gentes imperio tenebant, miserrime saepe interierunt et clarissimi imperatores, postquam magnis victoriis ab hostibus reportatis ad summos honores per-

venerunt, repente casu aliquo a summo dignitatis et gloriae gradu deiecti sunt. Rectissime igitur Horatius: „Valet ima summis mutare et insignem attenuat Deus obscura promens“. Quin etiam, quo secundiores sunt res hominum, eo gravioribus calamitatibus affligi solent, atque fortuna eos ipsos, quos plurimis beneficiis ornavit, ad duriorem casum plerumque videtur reservare. Quod quomodo fiat, ut ii, qui summis bonis abundant, facillime ad interitum ferantur, age nunc paullo accuratius consideremus.

Atque mihi quidem tres potissimum causae videntur esse, cur „maximae cuique fortunae minime confidendum sit“: primum quod ii, qui omnium bonorum copia affluunt, nimia sui fiducia, insatiabili ambitione, immoderata audacia et temeritate esse solent, tum quod divitiis suis atque honoribus hominum invidiam insidiasque excitant, denique quod divina providentia homines fortunatos admonere vult inconstantiae rerum humanarum.

Est enim hominum natura ita comparata, ut, simulatque fortuna adiuvante magnas opes consecuti vel ad honores evecti sunt, ab aliis se superari indigne ferant sorteque sua non contenti ad altiora et maiora tendant. Iam cum fortunam, qua antea usi sunt, semper sibi fauturam esse confidant neque ullam vim sibi officere posse rati, quominus conatus suos ad prosperum eventum adducant, summa quaeque et difficillima appetant neque ullo periculo deterreantur, persaepe in maiores angustias et difficultates incidunt, quam quas superare quisquam possit. Ut alios omittam, Napoleo I., potentissimus ille Franco-Gallorum imperator, cum eximia virtute et consilio ad summam dignitatem ascendisset maximamque sibi

laudem bellicam comparasset, maiores spiritus sumere atque nimiam in se fiduciam collocare coepit. Itaque cum plurimis civitatibus sub potestatem redactis id ageret, ut totam Europam imperio suo subiceret, mox fortunae iniquitatem expertus est. In Russia enim, cui bellum intulerat, toto fere exercitu frigore absumpto, quamquam in patriam reversus omni ope atque opera nitebatur, ut acceptam cladem repararet, tamen pluribus deinceps proeliis devictus atque imperio opibusque privatus postremo in insula quadam vasti Oceani procul a patria ab omnibus amicis derelictus e vita discessit.

Alios, cum rebus secundis praeter ceteros maxime floreant, invidia hominum in calamitatem ferri supra diximus. Neque id mirum. Ea enim est natura hominum, ut neminem virtute se superare aut summis honoribus tolli facile patiantur, sed ei obtrectent, ne ipsorum luminibus officiat. Itaque quoniam virtute illos adaequare non possunt seque idem, quod illi, assequi posse desperant, invidia incensi omni qua possunt ratione eis nocere et sive dolo insidiisque sive per vim de felicitatis gradu eos deicere student. Quod ut efficiant, persaepe eis contingit; namque fieri vix potest, ut unus homo vel prudentissimus par sit fallaciis artibusque multitudinis. Mitto Socratem, sapientissimum illum Atheniensem, qui cum per totam vitam omnibus viribus id egisset, ut civitati quam plurimum prodesset atque eam ab causam apud omnes bonos cives magnam auctoritatem adeptus esset, ab invidis hominibus in ius vocatus et capitis damnatus est. Quid? Cicero, princeps ille oratorum Romanorum, nonne invidiae civium succubuit? Postquam eum optime de republica Romana meritum populus summis honoribus atque honorificentis-

simo nomine patris patriae prosecutus est, paucorum hominum auctoritatem civiumque gratiam ei invidentium opera factum est, ut in exsilium iret, ut domus eius diriueretur, ut praedia diriperentur. Similiter Hannibal, fortissimus ille dux Carthaginiensium, cuius ductu et auspiciis non multum aberat, quin maximum illud imperium Romanum everteretur et in Carthaginiensium ditionem veniret, invidia Hannonum, qui ei auxilia in Italiam mitti nolebant, eo adductus est, ut in Africam rediret et postremo in exsilium mitteretur.

In his, quae attuli, exemplis aut suae quisque calamitatis auctor fuit aut aliorum hominum invidia in perniciem praecipitatus est. Sed fac ditissimos potentissimosque homines nec ipsorum nimia rerum augendarum cupiditate nec ab invidis hominibus bonis illis, in quibus felicitas eorum posita est, privari, tamen non sunt tuti a calamitatibus et malis. Nam, ut veteres putabant, caeca fortuna, ut nos, divina providentia eos, quos maximis ornavit beneficiis, ne nimis confidant externorum bonorum possessione, sed admoneantur, quam fragilia et caduca omnia sint humana, summis saepe calamitatibus affligit. Hinc apud omnes fere antiquitatis populos ea nata est opinio, ut deos ipsos hominibus, quibus nimis faveret fortuna, invidere putarent eosque ex altissimo felicitatis gradu in summam deicere miseriam. *Τὸ θεῖον*, ait Herodotus, *πᾶν ἐστι φθονερὸν καὶ ταραχῶδες*, idemque alio loco: *φιλεῖ ὁ θεὸς τα ὑπερέχοντα πάντα κολούειν*.

Quod quam verum sit, ut intellegatur, permulta afferri possunt exempla, sed brevitatis causa duobus ex Herodoti historiis petitis contenti erimus, Polycratis et Croesi. Atque ille quidem, e vulgo ortus, cum fortuna adiuvante

Sami regnum consecutus esset, incredibili florebat felicitate tantaque in omnibus rebus, quas gerebat, fortuna usus est, ut Amasis, rex Aegypti, amicitiam ei renuntiaret nullam aliam ob causam, quam quod fieri non posse putabat, quin tanta felicitas deorum invidiam moveret, nec ipse pernicici haud dubie imminentis particeps esse volebat. Atque quantis antea beneficiis, tantis postea calamitatibus a diis affectus est. Nam regno fortunisque omnibus privatus est ab Oronte, Persarum duce, et foedissimo supplicio affectus. Pariter Croesus, rex ille Lydorum, fortunae inconstantiam expertus est. Is multas nationes bello subiectas imperio tenebat; abundabat ingentibus divitiis et opibus. Idem ab omnibus civibus diligebatur regnique heredem habebat fortem strenuumque filium. Beatissimus igitur sibi videbatur omnium mortalium. Sed miserrime de hoc felicitatis gradu deiectus est. Nam filius fortuito interfectus, ipse a Cyro, Persarum rege, regno opibusque spoliatus in rogum ascendere iussus est neque multum aberat, quin concremaretur, nisi Solonis, sapientissimi illius Atheniensis, qui multis ante annis eum admonuerat neminem ante mortem beatum esse existimandum, recordatus ter exclamasset nomen Solonis. Interrogatus igitur a Cyro, quid istud sibi vellet, ei narravit omnia, quae Solon dixerat. Itaque is misericordia motus eum mortis absolvit et usque ad vitae finem inter amicos habuit.

Ex his, quae dixi, satis iam intellectum puto fortunam plerumque eos, quos maximis beneficiis ornaverit, ad duriorem casum reservare. Quamobrem ne nimis petamus magnas divitias atque honores neve invideamus eis, quibus fortuna maiora, quam nobis, impertiit bona; immo

contenti simus paucis, quibus ad vitam honeste transigendam opus est, nitamurque, ut ea bona assequamur, quae ad bene beateque vivendum maxime sunt necessaria neque aut hominum invidia aut fortunae iniquitate nobis eripi possunt.

15. Non esse domesticas fortitudines inferiores militaribus.

Si praeclarissimos cuiusque populi viros consideraveris, facile invenies duas esse rationes, quibus illi de patria optime meriti sint. Quarum una posita est in fortitudine militari, id est, in defendenda ab externis hostibus patria, altera in virtute domestica, id est, si gloria quaeritur e civitate iuste ac sapienter administranda et salute civium augenda et confirmanda. Quum vero permulti fortitudinem domesticam inferiorem militari arbitrentur, minuenda est haec opinio. Quamquam enim ii, qui, ut patria hostium manibus eripiatur, nullos labores periculaque effugienda esse putant mortemque ipsam pro patria oppetere non dubitant, summa admiratione digni sunt, tamen nihilominus, vere si volumus iudicare, merita illorum, qui rempublicam bonis legibus et institutis temperant prudenterque administrant vel seditiones et coniurationes malorum civium prudentia et vigilantia opprimunt, non minus praeclara habenda sunt.

Nam victoriae ab hostibus reportatae semel prosunt, res autem eorum, qui rempublicam bene gubernant, non solum aequalibus saluti sunt, sed etiam posteritati. Accedit, quod maxima ex parte bellicae fortitudinis eventus nituntur urbana: nam parvi, ut ait Cicero (de off. I. §. 76),

sunt foris arma, nisi est consilium domi. Itaque etiam Pompeius frustra te triumphum tertium reportaturum fuisse professus est, nisi Ciceronis in rempublicam beneficio, ubi triumpharet, esset habiturus. Iam ex his, quae dixi, satis puto intellegi posse, fortitudinem domesticam non esse inferiorem militari. Sed quo magis id verum esse perspiciatur, duo exempla ex Romanorum historia petita in medium proferam, Marii et Ciceronis, quorum alter rebus bello praeclare gestis, alter consilio et prudentia in republica administranda insignis exstitit.

Ac primum quidem de C. Mario dicam, qui, quamquam humili loco natus erat, tamen, quum militiae tirocinium in Hispania duce Scipione posuisset, populo ob singularem virtutem et impigram ad pericula et labores subeundos alacritatem tam carus et acceptus fuit, ut bello Iugurthino exorto Q. Caecilio Metello legatus daretur neque ita multo post consul factus in eius locum succederet. Quod bellum a Metello prospere coeptum mox confecit. Iugurtha enim ad Bocchum, Gaetulorum regem, profugerat eumque, ut contra Romanos pugnaret, perpulerat. Marius autem Bocchum aggressus fudit et castellum, ubi regii thesauri erant, non sine multo labore expugnavit. Itaque Bocchus, quum diutius se Romanis resistere non posse videret, ad Marium misit pacem orantes, quae in eam conditionem convenit, ut Iugurtha traderetur. Is igitur ad Marium deductus et ante currum victoris triumphantis actus est. Necdum bellum Iugurthinum finitum erat, quum Romani nuntio terrentur allato, Cimbros ac Teutonos cum ingenti feminarum liberorumque numero appropinquare. Hi ab extremis Germaniae terris profugi novas sedes toto orbe quaerebant exclusique

Gallia et Hispania, cum in Italiam remigrarent, misere legatos ad senatum petentes, ut populus Romanus aliquid sibi terrae, in qua consisterent, daret. Repulsi, quod nequiverant precibus, armis quaerere constituunt. Nec primum barbarorum impetum Silanus, nec secundum Manlius, nec tertium Caepio sustinere poterant. Omnes fugati, exuti castris. Actum erat de imperio Romano, nisi Marius in hoc discrimine exstitisset, cui populus Romanus consulatum per quatuor deinceps annos mandavit. Sed is statim cum hoste congredi non ausus milites in castris tenuit, donec invicta illa rabies, quam pro virtute barbari habent, consenuisset et miles parvis levium certaminum momentis vincere eos didicisset. Nec multo post hostes, postquam frustra eius castra oppugnaverunt, abeuntes persecutus proelio circa Aquas Sextias commisso ita prostravit, ut tota fere gens Teutonorum ad internecionem redigeretur. Rex ipse Teutobochus proximo in saltu comprehensus postea insigne triumphi spectaculum fuit: quippe vir proceritatis eximiae super tropaea eminebat. Teutonorum gente excisa Marius in Cimbros se convertit, qui repulso Q. Catulo, qui Alpium fauces frustra defenderat, in Italiam traiecerant, eosque in campis Raudiis ita devicit, ut hostium centum quadraginta caesa, sexaginta capta tradantur. Tunc quum Romam rediisset, cum omnium civium applausu exceptus pro duobus triumphis, qui ei decreti erant, uno contentus fuit, tantaque fuit eius gloria, ut etiam nobiles, quibus aliquamdiu ut homo novus invisus fuerat, conservatam ab eo rempublicam faterentur sextusque consulatus ei daretur.

Iam ut appareat etiam togatum hominem optime de

republica mereri posse, unum Ciceronem afferam, cuius prudentia et consilio non minorem civitati Romanae allatam esse utilitatem, quam cuiusquam virtute bellica, haud difficile est demonstrare. Is enim rempublicam Romanam coniuratione L. Sergii Catilinae in summum discrimen adductam, quum manus perditorum civium turpissimum exitium ei pararet templaque deorum, tecta urbis, vitam omnium bonorum, Italiam denique totam ad vastitatem vocare pararet, suis consiliis, laboribus, vigilantia, industria, fortitudine sine delectu, sine exercitu, sine tumultu defendit. Quam coniurationem quo modo patefecerit et orientem oppresserit, age nunc paucis exponam.

Catilina quum anno 64 a. Chr. frustra consulatum petiisset et consules in eum annum declarati essent M. Antonius et M. Cicero, cum nonnullis senatorii et equestris ordinis hominibus contra rempublicam coniuraverat. Nam magis magisque in dies animus eius ferox agitabatur inopia rei familiaris eademque multorum aliorum in tanta morum depravatione conditio erat, qui, ubi familiares opes defecissent, ad omnia facinora parati omnia turbare et miscere non verebantur. Sed iam initio consulatus Cicero per Fulviam quandam, coniurationis consciam, omnia, quae agebantur, compererat. Neque quicquam a coniuratis susceptum est, quin ille vigilantia singulari resciisset. Quum igitur Catilinae consilium, proximis comitiis Cicerone omnibusque bonis interfectis consulatus adipiscendi iterum ad irritum redactum esset, ille aperte bellum facere et extrema omnia experiri statuit, quoniam, quae occulte temptaverat, parum successissent. Itaque C. Manlius Faesulas et alii alias in regiones ad copias colligendas dimissi sunt. Ipse autem, ut Ciceroni insidias

strueret incendiaque ac caedes pararet, Romae mansit. Qua re cognita Cicero totam rem ad senatum retulit; is autem, quod in maximis periculis fieri solebat, decrevit, darent operam consules, ne quid respublica detrimenti caperet. Itaque Cicero, ubi intellexit, dum pestis illa intra muros versaretur, neque urbem nec bonos cives tutos esse posse, nihil antiquius habuit, quam ut efficeret, ut ille ex urbe cederet. Quum igitur in templo Iovis Statoris senatus haberetur et Catilina sui purgandi causa eo venire ausus esset, tam vehementer in eum invectus est, ut ille urbem sibi extemplo relinquendam esse putaret; itaque domum se e curia proripuit et cum aliquot familiaribus in castra Manlii profectus est, relictis in urbe sociis, quibus caedium et incendiorum partes erant datae. Sed hi paullo post Ciceronis consilio comprehensi et coniurationis contra rempublicam convicti mox poenas dederunt; nam auctore senatu iussuque consulis in carcere interfecti sunt. Catilina ipse proximo anno in pugna ad Pistoriam facta fortiter dimicans cecidit; copiae eius partim occisae sunt, partim fuga salutem petierunt.

Ex his, quae dixi, intelligi potest, non minora habenda esse Ciceronis merita quam Marii, fortasse etiam maiora. Neque enim tam difficile videtur hostes, qui palam patriae bellum inferunt, vincere et fugare, quam qui occulte caede rapinisque patriae excidium parant. Cicero autem vigilantia ac prudentia internos reipublicae hostes detexit et consilia eorum nefanda oppressit. Quare iure nobis cum eo licet dicere:

Cedant arma togae, concedat laurea laudi.

16. Quomodo Romani iustitiam etiam adversus hostes servaverint.

Iustitia omnium rerum et publicarum et privatarum principium est et fundamentum. Quod enim Cicero de omni officio praedicat, idem de iustitia dici posse existimo: nullam vitae partem neque publicis neque privatis, neque forensibus neque domesticis in rebus, neque si tecum agas quid neque si cum altero contrahas, vacare iustitia posse, in eaque et colenda maxima sita esse bona, salutem felicitatemque vitae, et in negligenda omne malum, omne damnum omnemque perniciem. Iustitia et condita sunt et amplificata regna et civitates. Ob hanc ipsam enim causam homines convenerunt seque communis civitatis vinculo coniunxerunt, ut ab iis, qui vim et iniuriam singulis inferre vellent, communiter omnes se defenderent, ut iis, quae suo sibi labore peperissent, ab omnibus insidiis tuti sine metu frui possent. Neque solum ad condendas civitates iustitia plurimum valuit atque nunc quoque valet, sed etiam eas amplificat et auget; nam civitates, a parvis initiis profectae, iustitia brevi tempore magnas opes assecutae sunt; contra iniustitia potentissimae atque florentissimae civitates breviori corruerunt.

Quod verum esse quum Romani probe intellexissent, quum homines omni quidem virtute, sed maxime iustitia allici et teneri viderent, prioribus certe reipublicae temporibus populos externos iustitia magis sibi conciliare, quam armis vincere studuerunt. Quam iustitiam quomodo etiam adversus hostes servaverint, operae pretium est paucis illustrare.

Atque primum quidem, antequam bellum ortum esset,

diligenter cavendum esse putaverunt, ne iustitiae officia violarentur. Praeclarum hoc in genere est illud, quod Cicero (de off. I. §. 36) dicit nullum bellum esse iustum, nisi quod aut rebus repetitis geratur aut denuntiatum ante sit et indictum; etiam adversus acerbissimos hostes non prius arma capienda aut vim inferendam esse, quam lenioribus modis frustra tentatis cognitum sit per disceptationem rem componi non posse. Atque hanc aequitatem Romani religiose semper adversus hostes servaverunt. Nam fetiali populi Romani iure quae perscripta erant, si nobiscum reputamus, concedendum sane est nihil ab iis neglectum esse, quod componendae liti esse posset. Illud enim ius omnes caeremonias bellicas continebat sanciebatque, quo ritu bella indicenda, gerenda, finienda essent. Quas religiose observandas curabant fetiales, quod erat proprium quoddam sacerdotum genus; e quibus unus, quem patrem patratum appellabant, legatus ad hostes mittebatur, qui res repeteret; quae si denegabantur, bellum rite indicebat.

Adeo summa erat observatio in bello movendo. Sed etiam in bellis ipsis iustos se et aequos in hostes praebuerunt et iustitia quam armis hostes vincere gloriosius putaverunt. Quod ut verum esse demonstrem, plura exempla ex historia Romanorum afferre possum, sed brevitatis causa duobus contentus erò, notis illis quidem, sed dignis, quae iterum ac saepius repetantur, Furii Camilli in bello cum Faliscis, et C. Fabricii in bello cum Tarentinis gesto.

Romanis iam diu Falerios, quia et frumentum et integrae copiae obsessis suppetebant, frustra obsidentibus, cum omnem paene spem expugnandae urbis abiecissent,

fortuna secunda subito eam tradidit. Nam ludimagister, cuius curae complures principum Faliscorum liberi, ut eos erudiret, mandati erant, hos pueros, sicut in pace lusus exercendique causa saepe fecerat, extra urbem inter hostium stationes et inde in castra Romana ad praetorium perduxit. Quos pueros si imperator Romanorum obsides retinuisset, facile erat ad intellegendum, Faliscos, ut liberos suos salvos reciperent, Romanis urbem dedituros esse. Sed Camillus, qua erat iustitia et aequitate, cum eam veram putaret victoriam, quae salva fide et integra dignitate pareretur, postquam magistro proditori Romanos iura et pacis et belli iuste non minus quam fortiter gerere didicisse respondit, eum denudatum pueris Falerios reducendum tradidit. Quem quum Falisci a pueris verberantibus in urbem actum vidissent eiusque rei causam cognossent, subito omnium animi ita conversi sunt, ut, quae civitas ante acerrime repugnaverat, tum statim uno ore posceret, ut cum Romanis pax fieret. Quamobrem legatos ad Camillum et ad senatum Romanum miserunt, qui Falerios in eorum potestatem dederent; nam sub imperio illius populi, cui iustitia tantae curae esset quique viros ea probitate exercitibus suis praeficeret, ut posthabito suo et reipublicae commodo primum omnium fidem et iustitiam colendam esse putarent, melius se quam suis legibus victuros existimabant. Hoc modo Romani urbem et populum, quem non sine maxima virium contentione victuri fuerant, quod iustos se adversus eam praebuerant, facile in suam potestatem redegerunt; et profecto hanc victoriam multo gloriosiorem et Camillo imperatori et universo populo Romano fuisse equidem puto, quam quae

clarissimae a fortissimis et potentissimis hostibus reportatae sunt.

Alterum non minus illustre iustitiae exemplum a Romanis editum est bello cum Pyrrho, Epirotarum rege, gesto. Tertio enim eius belli anno Fabricius, cuius innocentiam et constantiam Pyrrhus anno priori, quum de captivis redimendis missus esset, admiratus erat, eius belli imperium suscepit. Ad hunc Pyrrhi medicus, quum castra hostium prope abessent, clam noctu venit eique, si praemium sibi propositum esset, regem suum veneno se necaturum pollicitus est. Peropportune id Romanis evenire videbatur; nam Pyrrhus, cum omnibus illius aetatis hominibus rei militaris scientia praestaret, duobus iam proeliis Romanos vicerat et ipsam urbem, quae haud magnis copiis defendebatur, ne expugnaret, periculum erat. Neque vero Fabricius hoc iustum et honorificum putabat, indigna hac ratione civitatem ab hoste quamvis acerbo liberare, sed Pyrrhum monuit, ut videret, ne quid mali ipsi ab eis accideret, quos circa se haberet; alii a Fabricio medicum illum ad dominum reduci iussum esse memoriae prodiderunt. Atque Pyrrhus hac iustitia et fide paene attonitus fuit. „Hic est ille Fabricius“ exclamasse fertur, „qui difficilius ab honestate quam sol a cursu suo averti potest“; et ut gratiam populo Romano referret, permultos captivos sine pretio Romam dimisit. Quin etiam pacis condiciones tulisse dicitur tam aequas, ut Romani, si pacem omnino cum hoste facere voluissent bello nondum confecto, certe maximam ex ea re utilitatem capturi fuissent; neque dubium est, quin Pyrrhus, nisi Tarentinis auxilium suum pollicitus fuisset, sed si suo Marte cum Romanis bellum gessisset,

iam tum omnibus, quae adeptus erat, commodis omissis Italiam relicturus fuerit.

Talem iustitiam quamdiu Romani colebant et imperatores magistratusque non tam, quae ipsis et reipublicae maximum commodum afferrent, spectabant, sed quae iusta et honesta essent, regum et populorum quasi portus et refugium erat senatus, et populi Romani auctoritas tantum valuit, ut saepe exterae nationes et reges eum controversiarum suarum arbitrum facerent eiusque imperium patrocinium orbis terrarum verius quam imperium vocari posset. Sed postea quum corruptis Romanorum moribus omnia in peius mutata essent, etiam iustitia adversus hostes neglegi coepta est. Ut taceam de Carthagine et Numantia, quas aliquo iure delevisse et solo aequasse videntur Romani, quod cum his dimicatum est, uter esset, non uter imperaret, Corinthum, lumen totius Graeciae, nulla eiusmodi causa funditus sustulerunt. Neque poena eius iniustitiae diu eos remorata est. „Nam ubi pro aequitate libido atque superbia invasere, fortuna simul cum moribus immutatur“.

17. Bene ferre magnam disce fortunam!

Quamvis magna animi firmitate et constantia opus sit ad res adversas fortiter beneque ferendas, quia eis saepe hominum animi franguntur atque ad moestitiam et desperationem adacti in peccata incidunt, quae, si forti animo ac firmo res adversas ferrent, certe evitarent, tamen etiam res secundas bene ferre difficillimum est. Quod cum multi alii cognoverunt, tum Horatius, clarissimus ille poeta Romanorum, qui nos ita monet:

Bene ferre magnam disce fortunam!

Magnifica vero vox ac magno et sapienti viro digna, qua admonentur homines, ne temere stulteque fruantur fortunae beneficiis, sed caute sapienterque eis utantur vitentque ea vitia, ad quae, qui omnium rerum copia abundant, adduci solent. Nam divitiae, opes, honores, auctoritas, potentia, prout aut ad honestas aut ad turpes res adhibentur, eis vel saluti vel perniciei esse possunt. Sed cum hominis animus magis inclinet ad vitia quam ad virtutem et pravis saepe cupiditatibus obnoxius sit, mirum non est, quod plerique secundis rebus ad turpissima quaeque abutantur. Atque divitiae quidem, si cui contigerunt, eius animum ita corrumpere atque depravare solent, ut aut avaritiae se dedat insatiabili aut voluptatibus et libidini inserviens per luxum atque ignaviam aetatem agat atque non solum pecuniam, sed etiam corpus et animum perdat. Ii autem, qui magnam adepti sunt gloriam, odio atque invidia ducti eos evertere atque e medio tollere student, qui ipsorum luminibus officere videntur. Sed nulla re magis puto abuti solere homines quam opibus et potentia. Quod quam verum sit, facile est intellectu. Nam eos, qui in summis imperiis versantur potentiaque praeter ceteros eminent, quis audet coercere? quis prohibere, quominus quidvis suo arbitrio faciant? Itaque quo quis altiore loco consitutus est, eo magis eius animus inclinat ad licentiam atque eo facilius fit, ut ad superbiam, crudelitatem, iniustitiam, ad omnes denique res turpes adducatur.

Atque primum quidem e potentia superbiam atque insolentiam nasci solere, quis est quin videat? Nam cum etiam tenues homines, qui in obscuro vitam agunt, tamen

interdum opinionibus inflati mirifice sibi placeant et elati sint animi, quid mirum, quod illustres potentesque viri magnos saepe sibi spiritus sumunt? Qui tam superbi esse solent, ut non solum ceteros cives, sed etiam eos, quibuscum antea familiaritate coniuncti erant, contemnant ac despiciant. Attamen nihil utilius est quam in secundis rebus consilio uti amicorum eisque maior etiam quam antea tribuenda auctoritas. Sed amicos illi neglegunt, suoque arbitrio omnia gerunt; contra assentatoribus aures patefaciunt eorumque delectantur vanis laudibus.

Superbiam autem et arrogantiam sequi solet crudelitas et iniustitia. Nam quo quis plura habet, eo plura concupiscit; insatiabilis est eius animus, infinita principatus cupiditas. Invidet igitur omnibus, qui praeter ceteros florent opibus et virtutibus, veritusque, ne ab illis sibi insidiae struantur, aut artibus et dolo aut vi et armis eos exstinguere studet. Quid? quod ne foedissima quidem scelera committere dubitat, dummodo id, quod vult, assequatur. Abutuntur ergo superbi illi potentesque homines potentia et facultatibus, quibus praediti sunt, premunt cives, saeviunt in adversarios, turbant leges, omnia denique iura divina et humana pervertunt, obliti illud Livii: „Quo quis plura potest, eo moderatius imperio uti debet“, atque illud, quod Sallustius Caesarem facit dicentem „In maxima fortuna minima licentia est: neque studere neque odisse, sed minime irasci decet“ Imitari nolunt Periclem, clarissimum illum Atheniensium principem, qui gloriari potuit, neminem civium propter se unquam luxisse, aut Germanicum, qui cum Augusto mortuo in magnam spem venisset se rerum potiturum esse, quanto summae spei propior erat, tanto impensius pro Tiberio nitebatur.

Sed quo magis appareat, quantopere in rebus prosperis et ad voluntatem fluentibus superbia fugienda sit, atque quam turpis et foeda licentia, age pauca nunc afferamus exempla. Atque primum quidem apte hoc loco commemorari posse puto vetustum illud Horatii exemplum, qui, cum inter Romanum et Albanum exercitum Horatii et Curiatii decertarent, utroque fratre iam occiso tres Curiatios interfecerat. Romani tum ovantes ac gratulantes victorem accipiunt atque ad urbem prosequuntur. Sed cum ad portam Capenam ventum esset, Horatio soror virgo, quae desponsa uni ex Curiatiis fuerat, obvia fuit. Quae cum sponsum cecidisse audivisset et flebiliter eius mortem deploraret, ferox iuvenis gladio stricto transfixit puellam. Quo igitur die is summam adeptus est gloriam, eodem foedissimum facinus commisit. Atque quanta arrogantia et insolentia Tarquinius, septimus ille regum Romanorum, qui socero interfecto regnum usurpaverat, usus sit, declarat vel ipsum cognomen, quod ei datum est, Superbi. Sed quid hos commemoro, cum Marium et Sullam mihi affere liceat, quorum uterque, cum urbe capta rerum potitus esset, ingenti caede facta optimum quemque civium trucidavit et tanta in adversarios usus est crudelitate et saevitia, quanta maior vix cogitari potest? Neque solum ab externis populis, sed etiam e nostra ipsorum patria exempla possunt peti. Henricus IV. enim, Germanorum imperator, ut in rebus adversis afflicto et demisso, ita superbo et insolenti animo fuit in secundis. Qui cum Saxones seditionem moventes pluribus Germaniae principibus sibi reconciliatis vicisset, eo processit superbiae, ut illos pacto, quod cum eis fecerat, violato saeve atque iniuste opprimeret. Denique Napoleo I., Franco-

gallorum imperator, cum subiectis paene omnibus Europae regibus summam belli gloriam assecutus maxima floreret potentia, non abstinuit iniuria et superbia. Subiectos enim populos omni modo oppressit et in servitutis catenas coniecit, quin etiam fana et templa spoliare non est veritus.

Nec vero ad iniuriam solum et crudelitatem ii, qui potentia et opibus florent, adducuntur, sed etiam ad intemperantiam et libidinem. Nam qualis est hominum animus, si quis externorum bonorum copia affluit, difficillimum est voluptatibus resistere neque mollitiei, luxuriae, licentiae se dare. Accedit quod ab assentatoribus facile capiuntur homines illi beati, qui licet corruptis sint moribus, tamen quidquid faciunt, ab illis laudantur et ad libidinem satiandam impelluntur. Quare mirum non est, quod potentissimi reges et principes impotentissimi ac libidinosissimi esse solent. Quid? Alexander Magnus, praeclarus ille rex Macedonum, qui ingens Persarum regnum sibi subiecit et in remotissimas Asiae regiones progressus est, nonne, cum interdiu maximas res gesserat, noctu ebrietati et luxuriae se dabat, ita ut praematura morte absumeretur? Idemque fidissimos amicos, quod monere eum ausi erant, ut a turpi vita desisteret, statim supplicio affici iussit. Atque Luculli, clari illius Romanorum imperatoris, luxuriam et Antonii, illustris triumviri, libidinem quis est, qui nesciat?

Iusto igitur iure monet poeta homines, ut bene ferre magnam discant fortunam. Ad multa enim et magna vitia facile adducuntur fortunae beneficiis. Quare omnes, qui nec divitiis nec opibus nec potentia praeter ceteros eminent, non habent, cur magnopere querantur atque illorum

fortunae invideant, qua nihil magis idoneum est ad mores corrumpendos et ad veram salutem tollendam. Multo certe sapientius est, ea bona comparare, quae fortuna neque dare neque eripere potest.

18. Parva saepe scintilla contempta magnum excitavit incendium.

Ex parva scintilla, nisi tempore exstinguatur, ingentem saepe flammam oriri eamque materia data et vento adiuvante tanto incremento augeri, ut vix possit opprimi, quis est quin experientia edoctus sciat? Neque minus notum est cuivis nostrum, cum flammis omnia corripiantur et deleantur ac non solum aedificia, sed totae interdum urbes in cinerem vertantur, quanta incendio hominibus afferantur damna. Quare scintillam quamvis parvam negligere maximae est stultitiae, quoniam, nisi statim restinquitur, facile fit, ut magnum incendium excitet. Iam vero, quod proprie ad ignem pertinet, idem ad alias res, maxime autem ad cupiditates hominum transferri potest.

Nihil enim aptius meliusque inter se comparatur quam ignes et cupiditates hominum; quare fit, ut ii, qui de cupiditatibus praecipiunt, nulla imagine saepius quam hac uti soleant. Nam cupiditates, quibus nemo vacat et quarum initia in animo hominis vixdum in lucem editi reperiuntur, velut igniculi in pectore gliscunt neque quicquam nisi materiam desiderant ad ingens incendium excitandum. Exiguae enim initio sunt cupiditates ac facile domantur; ubi autem indulgendo aluntur, crescunt in dies adeoque augentur, ut postremo homo iis temperare non possit, nec iam homo cupiditatibus, sed cupiditates

homini imperent. Quodsi tanti refert, cupiditates statim nascentes opprimi, plurimi apparet interesse, qua educatione homines utantur. Qua in re maxime dolendum est, quod parentes caeco quodam liberorum amore ducti tam saepe peccant atque ad eorum voluntatem semper sibi accedendum neque de pravis eorum studiis poenas unquam sumendas esse arbitrantur. Hi cupiditates non solum non elevant, sed alunt, donec postremo filius adeo cupiditatibus servit, ut ab iis satiandis nec patris auctoritate nec matris precibus nec aliorum hominum verecundia deterreatur et turpissimis vitiis inquinetur. Est igitur ad domandas cupiditates maxima cura adhibenda, ut iam in parvulo opprimantur, ne quandoque, ut Livii verbis utar, parvus ignis incendium ingens suscitet.

Omnium autem cupiditatum nulla magis compescenda est quam luxuria et libido, quippe quibus nulla sit vehementior et periculosior. In eas ne incidant, maxime cavendum est adolescentibus. Hi enim cum ad corporis voluptates explendas animum iam per se satis propensum habeant facileque voluptatum illecebris irretiantur, quae quantam pestem afferant, nondum experti sint, summa profecto cautione et constantia opus est, ne vehementi eorum impetui succumbant. Quibus nisi a principio fortissime resistunt, mox dulcedine eorum capti ita devinciuntur, ut iis abstinere nullo modo possint atque maximum sit periculum, ne ad tristem illam pudendamque luxuriae et libidinum intemperantiam delabantur, qua et corpus et animus intereunt. Languescunt enim dissoluta et libidinosa vita omnes vires, hebetantur mentes, corpora effeminantur atque atteruntur, atque magni cruciatus et praematura mors turpissimam vitam finire solent.

Atque quod de privatis hominibus diximus, idem pertinet ad totas civitates. In quibus si semel a simplicitate severitateque maiorum descisci coeptum est malisque cupiditatibus locus datus, omnium animi velut contagione quadam pestiferi morbi sensim corrumpuntur, quo fit, ut respublica praeceps ad perniciem feratur. Nihil igitur antiquius habendum est iis, qui civitatibus praesunt, quam ut nascentis mali initia opprimant, ne neglectum tanta incrementa capiat, ut ei mederi non iam possint.

In hac re, si in ulla, observandum est illud, quod dicitur:

Principiis obsta; sero medicina paratur.

Quod quam verum sit, documento est civitas Romana, quam constat simplicitate et integritate morum adeo auctam esse, ut totus paene orbis terrarum ei pareret. Iam vero cum divitiis invectis luxuria et libido Romam irrepsissent, omnia paulatim hoc malo infecta sunt et gliscente in dies luxuria morumque labe respublica postremo interiit.

Sed de cupiditatibus satis dictum est; iam alio me convertam et de domesticis seditionibus ac de externis bellis pauca dicam, ut intellegatur etiam in his rebus parvam saepe scintillam contemptam magnum excitare incendium. Ut enim omnia magna e parvis initiis nascuntur, sic maximae seditiones ab exiguis motibus solent oriri. Qua in re principibus maxime prospiciendum est, ne respublica detrimentum capiat. Nam cum nulla nec reipublicae forma neque publicorum negotiorum administratio, quamvis bona sit, omnibus semper placeat, nunquam non inveniuntur, qui vel principi vel factioni alicui infensi rerumque novarum studiosi specie libertatis

magistratus et leges, quibus solis respublica nititur, subvertere ideoque civium animos ad seditionem sollicitare conentur. Quibus quamvis pauci initio aures praebeant, cave tamen, ne contemnendos eos esse putes. Hi enim mox omnes malis sermonibus ad suas partes trahunt: leges et instituta dura esse et iniqua, immitem et iniustum principem, publicas pecunias vanis rebus consumi, iustitiam aequabilitatemque iuris nihil iam valere; contra praedicant dulcedinem libertatis, aequata inter omnes iura, immunitatem, vacationem militiae. Atque cum hominum animi et ad speciosa blanditorum verba audienda et ad novas res moliendas inclinent cumque nomen libertatis, quod semper illi in ore habent, mirum quantum delectet alliciatque, facile fit, ut plures in dies ad suam sententiam illi perducant et parvus ille numerus magna fiat multitudo; quae prima quaque occasione oblata tumultus in republica ciet et omnia miscet atque perturbat. Cumque parvam illam manum opprimere nihil fuisset negotii, ingens haec multitudo compesci non iam potest. Itaque ex levibus primo aspectu rebus magni saepe ac perniciosi motus in republica oriuntur.

Iam vero ut domesticus turbator, ita externus hostis propter copiarum paucitatem nunquam parvi habendus est. Hac in re praeceptum illud omnium animis debet obversari: „Nihil in bello oportere contemni“ neque sine causa dici: Matrem timidi flere non solere. Nullus enim adversarius tam parvus est, quin possit nocere. Quod quam verum sit, e Thrasybuli exemplo maxime elucet. Huius enim aetate triginta tyranni, praepositi a Lacedaemoniis Atheniensium reipublicae, servitute oppressam eam tenebant et crudelissime in cives saeviebant: pluri-

mos, quibus in bello pepercerat fortuna, partim patria expulerunt, partim interfecerunt, plurimorum bona publicata inter se diviserunt. Talem autem rerum statum Thrasybulus, cum maximo amore patriam suam amplecteretur, vehementer dolens neque iam amplius cum ferendum esse arbitratus non solum princeps, verum etiam solus bellum illis indixit. Neque vero hic non contemptus est a tyrannis eiusque solitudo, quippe cui et milites et omnia, quae ad bellum gerendum usui erant, deessent. At hac ipsa despicientia opibus tantopere auctus est, ut triginta illis turpiter fusis urbem a dominatione liberaret.

Neque alienum ab hoc loco videtur esse memorare, quid Hannibal, peritissimus ille rei militaris imperator, de ea re iudicarit. Qui cum Alpes transgressus paucitatem copiarum, quas contra ingentes Romanorum exercitus erat ducturus, videret, milites allocutus cum alia, tum haec dixisse fertur: „Milites, non quam magni nominis bellum est, tam difficilem existimaritis victoriam fore; saepe et contemptus hostis cruentum certamen edidit et incliti populi regesque perlevi momento victi sunt“. Quod quam praeclare idem bello cum Romanis gesto probaverit, nolo copiosius explanare, quoniam eam rem notissimam esse scio.

19. Nihil perniciosius est in civitate seditione atque discordia.

Cum vita humana ita a natura sit constituta, ut singuli homines neque rebus secundis perfrui nec adversas facile tolerare queant, nisi ab aliis adiuventur, omnes necessitate quadam inter se contineri apparet nec ullam non modo beatam vitam, sed ne vitam quidem esse posse,

in qua alter alterius consuetudine et auxilio careat. Quo autem melius singulorum res rationesque a ceteris adiuvari et augeri possint, homines multas variasque ineunt societates, quarum gravissima est ea, qua eiusdem gentis, nationis, linguae homines inter se coniunguntur; e qua coniunctione quanta commoda ad singulos cives redundent, quis est, quin videat? Sed ad tuendam et singulorum et communem utilitatem et salutem illud maxime requiritur, ut ii, qui in eandem civitatem convocati sint, pacem atque concordiam diligentissime religiosissimeque servent, quae si turbantur, in diversas partes civitas distrahatur et bellis civilibus possumdetur necesse est. De qua re monet Cicero in eo libro, qui inscribitur „de officiis“ his fere verbis: „Nihil perniciosius est in civitate seditione atque discordia“. Quod quam verum sit, paucis hoc loco explicare conabor.

Quae contra externos hostes geruntur bella, multas calamitates civibus afferre nemo ignorat; namque agricultura negligitur, deseruntur opificum officinae; mercatura ac navigatio intermittitur, agri vastantur, urbes delentur, caeduntur homines, plurimi ad extremam inopiam rediguntur, omnia denique infesta. Sed quamvis gravia sint haec mala cum externis bellis coniuncta, multo tamen periculosiora et perniciosiora sunt bella civilia, quae nascuntur ex domestico odio atque discordia. Nam cum illa bella, quamvis atrociter gerantur, tamen semper fere aliquid utilitatis habeant nec victoribus solum, siquidem domitarum gentium divitias et tributa ad eos transferunt et imperii fines amplificant, sed etiam victis, quoniam morbis quibusdam civitatum, inprimis inertiae, languori luxuriaeque saepe medentur: haec eiusmodi commodis

prorsus carent atque ad summam perniciem omnia adducunt. Etenim mentes factionum sibi oppositarum adeo exacerbatae sunt, ut altera nisi alterius internecione odium satiare non possit, atque insolentia et saevitia militum, quae ceteris plerumque bellis vel aequis legibus vel auctoritate imperatorum, quantum id quidem fieri potest, si minus prohibentur, at levantur et leniuntur, civilibus bellis omnem modum excedant, ita ut iniquissima quaeque et atrocissima impune fiant. Quin etiam ea, quae ab hominibus sanctissima habentur, temere polluuntur ac miscentur; ne mulieribus quidem et infantibus parcitur atque innocentissimi optimique viri et ob magna in rempublicam merita dignissimi, qui summis honoribus ornentur, crudelissimis suppliciis vel proscriptionibus afficiuntur aut e medio tolluntur. Neque prius ea bella confici solent, quam alterius factionis vires contritae funditusque exstinctae sint. Nam cave putes aut mare ullum tam esse tumultuosum aut flammam tantam, quae non facilius possit sedari, quam multitudinem ira excitatam effrenatamque insolentia et libidine. Quare fieri non potest, quin respublica, licet potentissima sit, discordiis dissensionibusque suorum civium mox adeo distrahatur ac laceretur, ut postea vel prudentissimi viri eius factionis, quae superior e certaminibus discesserit, multos per annos frustra nitantur atque elaborent, ut florentem rerum statum, qua antea usa erat civitas, restituant.

Quod si nobiscum reputaverimus, facile intellegemus, quanto dolore Horatius, poeta ille patriae amantissimus, incensus fuisse putandus sit, cum novum bellum civile inter Octavium et S. Pompeium oriri videret. Itaque ut,

quantum ipse posset, cives prohiberet, quominus denuo mutuis cladibus se patriamque pessumdarent, in eos invectus est gravissimis his verbis:

„Quo, quo scelesti ruitis? aut cur dexteris
Aptantur enses conditi?
Parumne campis atque Neptuno super
Fusum est Latini sanguinis“?

Atque quasi desperans populum furore caeco abreptum revocari posse ab armis civilibus, conqueritur fatalem imperii sortem, qua scelus olim occiso Remo a Romulo commissum perpetuis bellis civilibus posteri debeant luere:

„Sic est: acerba fata Romanos agunt
Scelusque fraternae necis,
Ut immerentis fluxit in terram Remi
Sacer nepotibus cruor“. (Ep. c. VII.)

Neque minus pleni doloris sunt illi versus, quibus in alio carmine (Ep. c. XVI) ad deplorandam bellorum civilium pestem utitur:

„Altera iam teritur bellis civilibus aetas
Suis et ipsa Roma viribus ruit,
Quam neque finitimi valuerunt perdere Marsi
Minacis aut Etrusca Porsenae manus,
Nec fera caerulea domuit Germania pube
Parentibusque abominatus Hannibal,
Impia perdemus devoti sanguinis aetas,
Ferisque rursus occupabitur solum.“

Atque profecto suo iure poeta vulnera, quae bella illa civilia patriae inflixerant, luget atque deplorat. Nam iis factum est, ut ingens illud corpus reipublicae Romanae quasi exhausto sanguine adeo infirmaretur, ut nunquam postea ad sanitatem posset reduci, sed praeceps ad interitum ferretur. Quod quo magis intellegatur, unum ex bellis illis, quae Romani inter se gesserunt, paullo accu-

ratius consideremus. Nullum autem aptius mihi videtur, quod hoc loco commemorem, quam illud, quo ceteris quasi exemplum datum est, bellum inter Marium et Sullam ortum.

Cum belli contra Mithridatem, regem Ponti, gerendi imperium, quod Marius flagrantissime concupiverat, optimatum opera Sullae a Romanis mandatum esset, inter hos clarissimos illius aetatis duces mutua et in dies crescens invidia et aemulatio erupit, quae reipublicae Romanae in maximam perniciem versura erat. Nam vix Sulla ad illud bellum gerendum Roma profectus erat, cum novo concilio convocato auctore et adiutore Sulpicio, tribuno plebis, imperium Sullae abrogatum et ad Marium translatum est; sed ille verso itinere copias suas contra urbem duxit, qua capta ii, qui ab adversariorum partibus steterant, paene omnes interfecti sunt; Marius ipse aegre mortem effugit. Cum autem rebus Romae compositis Sulla in Graeciam transiisset, ab optimatibus ducis potentia fretis Cinna, homo popularis, consulatu motus et in exsilium eiectus est. Qua is ignominia incensus magnas nominique Romano infestas sociorum copias collegit, quae Mario duce, qui interea ex Africa redierat, Romam petiverunt. Atque urbe, quae iam fame civiumque discordia fracta erat, facile expugnata secuta est nefanda caedes senatorum et nobilium, quos Sullae causam defendisse vel sciebant vel suspicabantur. Sed postquam duces factionis popularis alter morbo, alter a militibus e medio sublati sunt, Sulla, cum bello Mithridatico confecto Romam rediisset, Marium crudelitate ac saevitia multo etiam superavit; nam ut ille optimates, ita hic omnes, qui Marii partes secuti erant, non solum Romae, sed etiam in ceteris

Italiae urbibus foedissime trucidavit. Itaque solum patriae bis multo sanguine civium tanquam inundatum et invicta illa urbs, quae per tot annos omnes hostes fortiter repulsaverat, intestinis discordiis turpiter dilacerata est.

Quae cum ita sint, cum discordiis seditionibusque civilibus respublica in summum discrimen vocetur, et cives et ii, qui reipublicae praesunt, caveant, ne hoc malum in civitatem inducant neve ulla re pax et concordia tollatur. Hi igitur rempublicam ita tueantur, ut, quaecunque faciunt, non tam ad suam vel factionis alicuius, quam ad universorum utilitatem referant; civium autem est non aures praebere iis, qui rerum novarum studiosi specie libertatis parandae magistratus et leges, quae sunt fundamenta civitatis, evertere student omniumque animos ad seditionem excitare conantur. Tali si omnes sunt animo, reges et principes tantum abest, ut disiuncti a populo esse videantur et alieni, ut arctiore quodam et firmiore vinculo inter se conexi pacem et concordiam, ex qua sola patriae salus nascitur, quam maxime confirment.

20. Socrates hanc viam ad gloriam proximam et quasi compendiariam dicebat esse, si quis id ageret, ut, qualis haberi vellet, talis esset.

In pulcherrimo sermone, quem Xenophon in prima Cyropaedia fingit habitum esse inter Cambysem et Cyrum, quaerenti filio, quo maxime modo sapientiae prudentiaeque opinionem comparare possit, ita respondet pater, ut eum non opinionem sapientiae, sed ipsam sapientiam persequi velit et de opinione eius et gloria securum esse iubeat. Ea sapientia quamquam est diversa ab hac, cuius nos scientiam laudemque vel tenemus vel appetimus, tamen,

quum similis generis sit, simillimum opinionis laudisque aditum habeat necesse est, nec quicquam diversum a Cambysis ratione suadere potest, qui sapientiae huius eruditae gloriam appetenti bene fideliterque consulere velit.

Est autem consilium illud, ut omnia alia et illius sermonis et totius Cyropaediae bona, ductum e Socratis disciplina, qui unam veram et certam laudis viam esse praecipiebat, si quis hoc ageret, ut, in quo laudari cuperet, id ipsum studiose diligenterque tractando consequeretur. Quamquam Socrates, quum multa alia a poetis, antiquissimis sapientiae magistris, sumpserit, etiam hoc ab Aeschylo accepit, apud quem Amphiaraus non optimus videri, sed esse vult (Sept. ad Theb. 598), contentus ipsa virtute sine opinione eius ac laude.

Ac nescio an poetae, ut in plurimis aliis, ita in gloriae studio regendo ipsos gloriosos virtutis magistros, philosophos, praeceptorum severitate superarint. Nam philosophi de gloria disputantes, quis nescit, quam parum inter se consentiant, aliis omne gloriae studium repudiantibus, quamquam ne hoc quidem satis constanter, aliis non contemnentibus, si sit cum sapientiae et virtutis studio coniunctum et pro acerrimo rerum bene gerendarum stimulo probantibus. Exstant Hieronymi Osorii quinque de gloria libri ita elegantes et copiosi, ut sicut Sadoleti de philosophia disputationes Hortensii Ciceroniani, ita hi Ciceronianorum de gloria librorum desiderium lenire possint. Sed omni illa docta copia disertior est simplex Aeschyli brevitas, iubentis curare non opinionem virtutis, sed vim virtutis ipsius eaque esse contentum.

Profecto, quamquam ita iucundam auribus humanis esse credimus laudem et praedicationem, ut eam Themi-

stocles recte suavissimum acroama dixisse videatur, non modo Horatio poeta, sed etiam philosophis de Socratis schola viri iudicium probantibus et celebrantibus, tamen omni laude sua iucundior sit necesse est ipsa virtus et sapientia, cuius vim et praestantiam nemo, nisi qui eam possidet, satis perspectam habet, sitque adeo ipsa una vera et digna sui laudatrix, non vanitate orationis, sed sensus veritate commendans se ac sui possessionem. Nec dispar est ratio doctrinae omnis liberalis, cuius laus non modo illaudata illa imperitorum, sed etiam verissima peritissimorum, quam potest habere suavitatem tantam, quae vel minimam partem aequet illius, quam sensus ipse eruditarum copiarum habet, quas animus apud se repositas ac digestas videt. Itaque subeat mirari doctos homines, qui adeo sitiunt laudes doctrinae suae, ut etiam ad minutas et sordidas artes descendant, per quas magnam de se opinionem ac famam vel commovere vel propagare frustra plerumque conentur. Non est ita obscura aut parva res excellens doctrina in quocunque genere, ut non sine talibus artibus inclarescat, praesertim quum se copiasque suas ad usum communem patefecit. Sed si nullam sui admirationem faciat nec celebretur longe lateque sermonibus iudiciisque multorum, nihilo tamen nec ipsa minor fiat, nec minus oblectet et pascat conscium domini animum. Ac nescio quomodo, in hoc genere laudis ac gloriae idem accidit, quod in ceteris bonis humanis. Nam ut videmus saepe divitias fugere ab iis maxime, a quibus maxime expetantur, quum aliis se ultro offerant, qui nihil minus egerant, quam ut divitias consequerentur: sic laus magna et praeclara fama doctrinae raro contingit his, qui eam omnibus artibus atque insidiis captant, saepius

illis, qui eius negligentes ac securi omne studium in ipsa doctrina augenda consumunt.

Nec difficile fuerit intellegere, in illa ipsa curiosa ambitione esse impedimenta laudis et gloriae maxima. Nam abducit homines a curandis agendisque rebus ipsis, a quibus vera laus venit, implicatque multis minutis curis et negotiolis, quae dilacerant et carpunt tempus, quod in ipsis doctrinae studiis debebat consumi. Ac sicut, qui divitiis omni modo congerendis augendisque nimis inhiant, iis multas et magnas struit ipsa cupiditas insidias, ut iacturas saepe faciant maximas, dum maximos quaestus facere conantur: ita qui tam cupide venantur doctrinae magnae opinionem et famam, in multa temere incurrunt, quae minuant potius illam opinionem quam augeant. Mercatores quidem quum hoc de industria agunt, ut divites videantur, peritis suspicionem movent rei non optime constitutae. Nec mirum sit, si illa curiosa opinionis magnae captatio doctos homines suspectos reddat animi non optime conscii. Virum doctum memoriae traditum est fuisse, qui aviculas cantrices quam plurimas, clam consuefactas canere: „Magnus vir est — —" dimiserit sperantem quaqua versum nomen suum eas vulgaturas et admiratione suae magnitudinis veluti divinitus demonstratae et commendatae omnia impleturas; at illas libertatem adeptas multum valere iusso magistro cecinisse, quod natura, haud paullo melior et verior magistra, docuisset. Philosophum crediderim hac fabula notatum fuisse, qui sua decreta et inventa pro solis veris et subtiliter excogitatis laudando, cetera omnia contemnendo, consuefecerit psittacos suos, discipulos volebam dicere, sibi invicem de magnitudine praeceptoris identidem accinere, quum illi interea, aliis

postea immisti et veras naturae voces audientes atque imitantes, istius cantilenae obliviscerentur.

Nihil profecto agunt, qui verbis vel consequi opinionem vel augere student. Rebus et factis opus est ad veram et certam laudem eaque omnium oratione sunt et ad gloriae magnitudinem efficaciora et ad perpetuitatem stabiliora. Bene dicendi laudem adamasti? Noli audientibus promittere, te perspicue, subtiliter et ad movendos animos apte dicturum, ne similis videare pictoribus apud Plinium et Aelianum rudibus, qui necesse habebant picturis titulos apponere tales: „hic bos est, haec arbor", ut tituli professione discerent spectantes, quid artifex videri illam picturam vellet: dic modo perspicue, subtiliter, eleganter, graviter, ipsa oratio sensum eorum bonorum animis admovebit. Vis in quocunque genere doctrinae excellere videri? Fac assiduitate et diuturnitate discendi, exercendi, meditandi, ut excellas, et profer illam ita partam doctrinam bene docendo, accurate eleganterque de praeclare inventis et cogitatis scribendo: sat cito laus veniet, si tanti tibi est ab iis ipsis, qui te nunquam viderunt nec unquam te audiverunt, laudari. Atque in hoc genere melior est condicio doctorum quam divitum. Nam hi non una de causa libenter occultant modum divitiarum putantque sibi expedire, si de iis homines infra veram magnitudinem existiment. At in doctrinae studiis quanto quis est opulentior, tanto tutius ostendit opes, tanto iustiores proferendi causas habet, propterea quod, ut magis protulerit in medium, ita magis non modo sine iactura et damni periculo, sed etiam cum certo quaestu profuerit aliis, qui est unus maximus et omni laude maior et bono viro iucundior et amabilior fructus.

21. Publicae utilitatis speciem prae honestate contemnendam esse.

Nullus totius philosophiae locus gravior et utilior est, quam de officiis, a quo constanter honestique vivendi praecepta ducuntur. Quum enim nulla vitae pars vacare officio possit in eoque colendo sita sit totius societatis humanae salus, quid homini salubrius, quid magis necessarium cogitari potest, quam ea disciplina, quae in officii praeceptis tradendis versatur? Inter ea autem, quae de officiis praecipiuntur, is locus, qui ad eligendi officium pertinet, si honestum atque utile pugnare inter se videntur, maximi est momenti et magnas habet difficultates. Multum enim in hoc genere peccant homines, quod honestatem ab utilitate secernentes interdum utile praeferendum esse honesto putant.

Neque tamen dubitari potest, quin nunquam possit utilitas cum honestate contendere. Itaque Socrates dicere solebat, neminem potuisse maiorem perniciem hominum vitae affere, quam qui haec natura inter se cohaerentia distraxisset. Quod si quis bonum se virum haberi vult, nunquam non modo pluris putare, quod utile videtur, sed ne comparare quidem ea inter se debet et in eis addubitare.

Sed ut sine ullo errore diiudicare possimus, si quando cum honesto pugnare utile videtur, formulam quandam constituere et tanquam legem sibi imponere maxime conducit, quam si sequemur in comparatione rerum, ab officio nunquam recedemus. Quam formulam optime statuerunt Stoici, quibus quidquid honestum esset, idem utile vide-

batur nec utile quicquam, quod non honestum. Hanc si agendi regulam religiose observabimus, nunquam fieri poterit, ut a virtute et officio aberremus. Spectat autem haec regula eodem, quo iustitiae praecepta omnia, ne quis propter suum emolumentum quicquam faciat, quod aliis nocere aut hominum societatem dissolvere possit. Si enim sic erimus affecti, ut detrahendo alteri sua quisque commoda augeat neque omnium primum tuendam atque conservandam esse honestatem existimet, hominum convictus atque consortio nullo modo esse potest; tum sicas, venena, furta, scelera omnia totam vitae societatem evertere necesse est. Quamobrem nos eos esse oportet, quibus persuasum sit, nihil utile esse posse, quod non idem sit honestum, illamque Stoicorum regulam in omnibus vitae condicionibus conservandam esse atque ita quidem, ut, si omnes homines deumque ipsum celare possimus, nihil tamen avare, nihil iniuste, nihil incontinenter faciamus.

Saepissime autem homines in eo peccant officiumque deserunt, quod utilitatis specie decepti commodum suum anteponant honestati non solum in rebus privatis, sed etiam in publicis. Quae quum ita sint, maxime videtur conducere exempla intueri magnorum virorum, ut appareat, quemadmodum hi publicae utilitatis speciem prae honestate contemnendam esse putaverint. Sed quum plurima et egregia huiusmodi exempla et apud Graecos et apud Romanos exstent, pauca eaque praeclarissima proponere satis habeo.

Ac primo quidem loco de Aristide, iustissimo illo inter Graecos viro, dicendum est. Themistocles quum post pugnam apud Salaminem factam, qua patriam a Persis liberavit, magno opere niteretur, ut in pristinum sta-

tum res Atheniensium restitueret urbisque opes, quam maxime fieri posset, augeret, in concione dixit, se habere consilium reipublicae salutare, sed id sciri non opus esse. Postulavit igitur, ut aliquem populus daret, quicum communicaret. Datus est Aristides. Huic ille dixit classem Lacedaemoniorum, quae subducta esset ad Gythium, clam incendi posse: quo facto frangi Lacedaemoniorum opes marisque imperium Atheniensibus concedi necesse esse. Quod Aristides quum audivisset, in concionem magna exspectatione venit dixitque perutile esse consilium, quod Themistocles afferret, sed minime honestum. Itaque Athenienses auctore Aristide totam rem, quam ne audierant quidem, repudiaverunt, quum, quod honestum non esset, id ne utile quidem putarent.

Neque solum Athenienses, sed etiam Romani illustribus exemplis confirmaverunt, utilitatis speciem prae honestate contemnendam esse. Ut omittam exemplum illud, quod edidit Camillus, quum Falerios obsideret, alterumque, quod bello cum Pyrrho gesto proposuerunt Fabricius senatusque, unum idque clarissimum enarrabo, quod M. Attilius Regulus primo Punico bello edidit. Is quum consul in Africa ex insidiis a Poenis captus esset, ad senatum missus est, qui de pace et, si eam impetrare non posset, de captivis redimendis ageret, iureiurando dato, se, nisi rem impetrasset, Carthaginem rediturum. Constitutus igitur erat quasi inter honestatem et utilitatem, atque haec eum ad se alliciebat. Quid enim utilius ei videri poterat, quam manere in patria, esse domi cum uxore, cum liberis, quam calamitatem accepisset in bello, communem fortunae bellicae iudicantem, tenere consularem dignitatem? Sed vicerunt hanc utilitatis speciem con-

stantia viri atque religio. Ubi in senatum venit, gravissima oratione dissuasit conditiones, quas Romanis Carthaginienses tulerant captivosque redimendos esse negavit, ne exemplum exstaret reipublicae funestissimum. Valuit eius sententia, captivi retenti sunt, ipsum vero neque caritas patriae neque suorum retinuit, quominus iurisiurandi sanctitatem servaret Carthaginemque rediret, et quamquam non ignorabat, se ad exquisitissima supplicia proficisci,

— — non aliter tamen
Dimovit obstantes propinquos
Et populum reditus morantem,

Quam si clientum longa negotia
Diiudicata lite relinqueret
Tendens Venafranos in agros
Aut Lacedaemonium Tarentum.

Ex his, quae attuli, exemplis satis perspicuum esse puto, utilitatem nunquam seiungendam esse ab honestate neque aliunde nisi ex laude, decore, honestate utilia quaeri posse. Quamobrem viros illos ad imitandum nobis proponamus atque omnem utilitatem, nisi cum honestate coniuncta est, inanem ac vanam speciem putemus, honestatem autem non tam ob externa praemia, quam propter se ipsam expetamus.

22. Ante mortem nominem beatum dicendum esse Croesi, Lydorum regis, exemplo comprobatur.

Quamquam desiderium bene beateque vivendi animo penitus insitum atque innatum est omnesque, ut id expleant, summa ope nituntur, perpauci tamen fuerunt, qui vitam vere beatam omnique dolore vacuam usque ad mortem degerent. Nam omnium rerum humanarum maxima

est vicissitudo, et fortuna, in cuius potestate ea sunt, in quibus plerique vitae felicitatem positam esse putant, maxime est mutabilis et inconstans. Quam saepe accidit, ut is, qui magnis divitiis, firma corporis valetudine, eximiis ingenii facultatibus utitur atque felicissimus et sibi et aliis videtur, subito fortunae quasi fulminibus ictus in summam miseriam incidat et gravissimis calamitatibus affligatur! Sicut navis in altum egressa modo secundis lenibusque ventis acta per quietas undas vehitur, modo saevis tempestatibus per turbulentos fluctus iactatur, ita homo a prima infantia usque ad vitae exitum fortunae mobilitati obnoxius modo rebus secundis magnisque voluptatibus fruitur, modo reflante fortuna summis acerbissimisque doloribus vexatur. Quare quum tanta sit rerum humanarum inconstantia neque quisquam, „quid sit futurum cras", prospicere possit, nemo, quamvis in praesentia fortuna ei favere videatur, ante mortem beatus dicendus est.

Quotiescunque de hac re cogito, in mentem mihi venit miserrima sors Croesi, potentissimi illius atque opulentissimi regis Lydorum, e cuius exemplo, quam recte illud a Solone dictum sit, luculentissime apparet.

Is quum in plurimas fortissimasque gentes dominaretur, in Lydos, Phryges, Mysos, Chalybes, Paphlagones, Thraces, Bithynos, Cares, Cilices, Lycios, Graecique ipsi, qui Asiam incolebant, tributa ei penderent, imperium tenebat tantum, ut propter magnitudinem incolarumque fortitudinem nullo finitimarum gentium impetu everti posse videretur. Qua potentia commoti multi regis amicitiam appetierunt, ut Astyages, rex Medorum, ut Amasis, rex Aegypti et e Graecis ipsi Lacedaemonii. Quid porro

de eius divitiis dicam? Quis tam hospes et peregrinus in historia est, qui nesciat, Croesum divitiis opibusque cumulatum et quasi obrutum fuisse? Quis est hodie tam ab omni hominum societate remotus locus, quo non ditissimi illius regis fama pervascrit? Itaque non solum sibi ipsi, sed etiam aliis, qui eum noverant, omnium mortalium beatissimus esse videbatur. Cuius viri fama commotus Sardes in itinere suo venit Solon, illius aetatis vir sapientissimus, qui multas terras perlustrarat atque opes divitiasque plurimorum regum inspexerat. Quare Croesus, quum de sapientia Solonis audivisset, eum hospitaliter excepit et postquam omnes divitias et res pretiosas, quibus abundabat, ei ostendit, sperans fore, ut ipse diceretur, interrogavit sapientem, quem omnium hominum beatissimum cognovisset. Verum enimvero ille non Croesum, non alium regem nominavit, sed Tellum, civem Atheniensem, cuius honestam vitam honesta mors esset secuta. Deinde iterum a rege interrogatus, quem post hunc beatissimum haberet, fratres Cleobim et Bitonem dixit, quod hi adolescentes, quum vitam felicem egissent, pulcherrimo pietatis erga matrem specimine edito in templo obdormivissent et mane inventi essent mortui: „Vita enim, inquit Solon, nisi confecta atque absoluta est, non est appellanda beata; et in te, o Croese, praesertim cum iuvenis sis, multi dolores incidere possunt.“ Quibus verbis cum Croesus adeo non delectatus esset, ut iratus prope Sardibus illum cedere iuberet, tamen non ita multo post, quam vere dixisset sapiens, maxima rerum suarum mutatione expertus est. Erant ei duo filii, alter mutus idemque surdus, alter praeclaris et corporis et ingenii virtutibus praeditus. Hic quum aprum exi-

miae magnitudinis venaretur, ab Adrasto quodam, quem Croesus hospitio exceperat, iaculo transfixus est. Atque hoc primo dolore regis animus vulneratus est. Sed paullo post maius periculum miseri patris oculos et animum ab hoc domestico malo avertit. Persae enim Cyro duce, postquam Medorum iugum excusserunt Astyagemque regem magna clade victum ceperunt, omnibus Asiae civitatibus exitium parabant. Quam pestem ut anteverteret et Astyagem in regnum restitueret, multas copias quam celerrime undique conscripsit. Sed quo cautius ageret, Delphos misit, qui deum consulerent, quis exitus belli, quod suscepturus esset, foret. Responsum est, si Halym flumen traiecisset, magnum ab eo regnum eversum iri. Quo audito Croesus spe victoriae elatus statim contra hostes duxit. Atque pugna apud Pteriam commissa exercitus, quum utrimque acerrime pugnatum esset, aequo Marte discesserunt. Tum Croesus, ut acceptum damnum resarciret et proximo vere belli fortunam denuo periclitaretur, copias domum reduxit et dimisit. Quod cum cognovisset Cyrus, quanta maxima potuit celeritate Sardes profectus est sperans se inopinato impetu urbe potiturum esse. Quae spes eum fefellit. Croesus enim fortitudini suae gentis, quae ea aetate maxime strenua praecipueque ex equis pugnandi peritissima erat, confisus Lydos in proelium produxit et collem ante urbem situm magnum et editum occupavit. Diu anceps stetit pugna; tandem Lydi magno numero hostium repulsi terga verterunt et in urbem se receperunt. Acriter impugnaverunt Persae, sed, quum Lydi fortissime resisterent, omnes eorum contentiones ad irritum ceciderunt. Iamque Cyrus exercitum reducturus erat, quum miles gregarius locum

invenit, ubi nullum praesidium collocatum erat propterea, quod Lydi cum monte praerupto et paludibus altis satis munitum habebant. Hac ex parte hostes in urbem irrumpentes omnes obvios passim trucidant. Atque etiam in Croesi domum turba militum invasit, et Persa quidam ipsum regem gladio petiit. Quem Croesus taedio vitae captus non evitavit. Id ubi filius ille mutus vidit, vitae patris timens rupto silentio subito: Homo, inquit, noli interficere Croesum! Itaque is vinculis adstrictus et ad Cyrum adductus est, qui, quod tam diu restitisset, eum rogo imponi iussit. Super quem stans Croesus illius colloquii cum Solone habiti memor ter sapientis nomen exclamasse dicitur. Cuius rei cum causa ei nuntiata esset, Cyrus flammam exstingui iussit et considerans, quam mutabilis esset fortuna humana, ei non solum pepercit, sed inde ab eo tempore etiam familiariter eo usus est.

Ut Croesi divitiae atque potentia, ita omnia, quae praeclara a multitudine habentur, incerta, caduca, fragilia sunt. Ne ea quidem perpetua et constantia sunt, quae ad aeternitatem facta videntur. Sapienter igitur faciunt ii, qui fortunae minime confidentes non in externorum bonorum possessione felicitatem positam esse putant, sed in sola virtute. Illa enim sive bonis sive malis artibus parta facillime perduntur, haec in aeternum permanet et omnibus rebus amissis sola nos consolatur. Nihil igitur magis curae nobis esse debet, quam ut virtuti operam demus modiceque fruamur omnibus iis rebus, quae a fortunae arbitrio pendent. Nam, ut praeclare ait Horatius:

Non possidentem multa vocaveris
Recte beatum. Rectius occupat

Nomen beati, qui Deorum
Muneribus sapienter uti
Duramque callet pauperiem pati
Peiusque leto flagitium timet.

23. Virtus repulsae nescia sordidae Intaminatis fulget honoribus.

In praestantissimo illo gravissimoque carmine, quod est secundum sex illorum carminum libri tertii, quibus Horatius, quid de iis rebus, quae suae aetatis civibus divitiis, mollitie, luxuria, bellorum civilium depravatione corruptis maxime videantur conducere, sentiat, cum sublimitate quadam praecipit, poeta omnium primum „eradenda esse censens pravi cupidinis elementa“ iuventutem Romanam ad spernendas voluptatis illecebras et colendum virtutis studium graviter impellit. Atque postquam pueros, ut belli laboribus tolerandis mature assueti paupertatem patienter ferre, divitias contemnere, honestum turpi praeponere discerent, egregie hortatus est eosque excitavit, ut dulce et decorum putarent pro patria mori, ad virtutem praedicandam transit, quam profitetur „repulsae sordidae nesciam intaminatis fulgere honoribus“.

Quorum verborum quae sit vera vis et sententia, age nunc paucis exponamus.

Ac primum quidem, de quanam hoc loco cogitandum sit virtute, si quaerimus, facile apparet neque omnem virtutem neque eam intelligendam esse, quae fortitudo vocari soleat, sed eam, qua qui praediti sunt, cives boni nominantur. Hoc autem nomine digni sunt ii, qui ita se gerunt, ita vivunt, ut eorum probetur fides, integritas, aequitas, liberalitas, prudentia, sapientia, nec sit in iis

ulla cupiditas vel libido vel audacia sintque magna constantia. Non aliorum hi cupiunt divitias, non petunt sui locupletandi causa honores, sed cum nullam aliam veram esse sciant felicitatem dignitatemque nisi eam, quam virtus ipsa tribuat, hac sola contenti sunt, quae quia per se semper splendet neque alienis sordibus obsolescit, ipsi quoque fulgent intaminatis honoribus. Atque ut virtutis possessio stabilis est et immutabilis, ita honores eius certi sunt et perpetui neque aut augeri aut imminui possunt populi iudicio. Nam qui virtute conspicuus est, is consul est ac princeps semper in civitate; etsi igitur repulsam ferat in petendis reipublicae honoribus aut magistratu abrogato in otium se recipiat, perpetuum tamen gerit virtutis consulatum, qui neutiquam pendet ab instabili vulgi favore, sed omni casu maior est.

Talis igitur virtus, cum verum honorem in se ipsa positum esse sentiat, externos honores spernit neque admodum eos petendos esse putat. Quod cur faciat, facile est intellectu. Qui enim vera virtute praediti sunt, persuasum habent, eos, qui ab hominibus tribuantur, honores caducos esse et inconstantes vitamque efficere non posse beatam. Ac recte quidem sic sentiunt. Saepissime enim praecipueque in republica fieri solet, ut populus eos, quos summis imperiis et magistratibus dignos putavit, paullo post de iis deiciat, id quod cum multa alia exempla demonstrant, tum Cn. Pompeii et Iulii Caesaris. Mobilis est enim favor populi eiusque iudicium, cum nulla certa ratione ducatur, levissimis de causis mutatur; mox amat, mox contemnit optimos viros neque est quisquam fere, quin populi inconstantiam expertus sit. Talis igitur cum sit populi animus, mirum nobis vi-

deri non potest, quod viri virtute praestantes saepe non petunt honores iisque contenti sunt, quibus ipsa eos afficit.

Cave autem credas, id quod facile ex iis, quae diximus, conicias, si quis virtute praeditus sit, ei omnino munera vel honores non esse petendos; potest enim accidere, idque haud raro usu venit, ut, qui honestate atque prudentia excellunt, cum servire studeant civitatis saluti, etiam publicis negotiis operam dare velint eamque ob causam honores appetant. Neque vero hi id, quod cupiunt, semper adipiscuntur. Quamquam enim omni laude summoque honore digni sunt, tamen vulgus, cum saepe, quid sibi utile sit, nesciat, eos contemnit, quo fit, ut illi repulsam ferant, quae etsi plebi maximum malum videri solet, tantum tamen abest, ut eos dolore afficiat ac deprimat, nihil ut ea commoveantur. Contra qui ad honores adipiscendos malis artibus utuntur, qui vera virtute destituti ambitione et largitionibus auram popularem captant, si tamen aliis competitoribus a populo postponuntur, quanto dolore afficiuntur, quantae ignominiae hoc sibi vertunt! Sin id quod volunt, assecuti et honoribus exoptatis potiti sunt, certe non intaminati sunt eis honores, sed fraude et facinoribus polluti. His non invidet homo probus, sed virtutis suae conscientia elatus aequo animo fert tales honores sibi denegari.

Quam in rem illustre laudatur exemplum Catonis, qui cum in praeturae petitione repulsam tulisset, quo esset animo, ita demonstravit, ut ipso repulsae die in comitio pila luderet atque negatis velut acceptis honoribus gauderet.

Talis igitur est virtus, postquam repulsam tulit; qualis vero, cum, quod aut ipsius petitione aut sola civium voluntate fieri potest, honores adepta est! Tum profecto fulget summo honore maximaque dignitate, quia honoribus non solum nulla labe pollutis utitur, sed etiam eis optime fungendis efficit, ut, cum suum cuique tribuat neque inhonestum quicquam fieri patiatur, omnia, quae quidem ex eius voluntate pendent, bene recteque se habeant, omnesque, nisi qui iniustis rebus atque turpibus favent, eam ament atque admirentur. Neque id mirum: nam ipsa iustitia, honestas, prudentia eos cum regat gubernetque, optime vivendi rationem docet atque ita ad summam felicitatem perducit. Quodsi ita se gerit virtus, optimo iure fulgere dicitur repulsae sordidae nescia intaminatis honoribus.

24. Icari fabula quid nos doceat.

Exstat pulcherrima de Daedalo et Icaro fabula ab Ovidio in lib. VIII Metamorphoseon enarrata. Daedalus enim, clarissimus ille artifex, cum ob caedem Athenis patratam cum Icaro filio Cretam et Minoem fugisset, ibi regis iussu labyrinthum aedificaverat. Quo perfecto, cum in patriam redire vellet, invitus ab illo retinebatur. Metuebat fortasse rex, ne Daedalus in alias terras profectus perniciosa ipsi opera efficeret. Itaque is, cum maximo loci natalis desiderio incensus nec precibus regem ad voluntatem suam adducere neque omnibus fugae facultatibus ademptis clam ex insula aufugere posset, nova miraque sane arte alas fecit, quibus avium instar aerem temptaret. Priusquam autem auris se mandaret, Icaro

filio, comiti audacis itineris, haec volandi praecepta cum dedisse Ovidius tradit:

„Medio ut limite curras,
Icare, te moneo, ne, si demissior ibis,
Unde gravet pennas, si celsior, ignis adurat.
Inter utrumque vola."

Quae quidem initio filius religiosissime observavit patrem ducem anxie secutus. Mox autem, cum conatum tam prospere evenire vidisset, audacior factus altiora appetiit et neglecta admonitione exemploque patris ipsum coelum attingere studebat. Cuius temeritatis extemplo poenas luit. Cum enim soli nimis appropinquasset, cera liquefacta solutisque alis in mare delapsus est, quod inde Icarii maris nomen traxit. Pater autem corpore filii in insula maris humato miserum eius interitum lugens incolumis in Siciliam pervenit.

Haec fabula multa habet, quae animos legentium et delectent et saluberrimis praeceptis imbuant. Quae qualia sint, paucis, si placet, age nunc contemplemur.

Atque primum quidem illud ex ea apparere mihi videtur, adolescentes in rebus gerendis consilia et praecepta eorum, qui aetate, prudentia, usu eis praestent, servare eisque parere oportere. Quodsi non facient, in multa pericula, quae ipsis ignota, illis usu cognita sunt, incurrent, in quibus facile peribunt. Neque id mirum. Quamvis enim bona educatione utantur, tamen, cum propter iuvenilem aetatem errores et pericula, quae plurima in vita fortunaque hominum versantur, nondum perspiciant, quid in quaque re petendum, quid cavendum sit, satis discernere nequeunt. Indigent igitur custodibus et cautis quidem. Cum enim animi eorum motibus insigniter

agitentur et cupiditate potius quam ratione regantur, facillime fit, ut a recta via abducantur. A quibus erroribus ad honestatem et virtutem revocari non possunt, nisi prudentibus sapientium virorum consiliis. Ac saepissime etiam severitate opus est; nam levissima est haec aetas et ad spernenda, quam ad sequenda consilia paratior. Quid? quod inter adolescentes sunt, qui cum stultitia arrogantiaque ducti, quid sibi conducat, quid non, melius sese videre opinentur, quam qui multiplici rerum usu edocti rectius de rebus humanis iudicant, his obnitantur eorumque consilia spernant irrideantque, nimirum nullam aliam ob causam, quam quod suam potius voluntatem sequi quam aliis obsequi malunt. Cuius arrogantiae gravissimas saepe poenas eos dare Icari exemplo satis probatur.

Atque etiam aliud multo gravius praeceptum inest in illa Icari fabula. Docet enim perversam ac perniciosam esse superbiam eorum, qui in fortuna secunda insolentius se efferant atque etiam ea, quae a divina providentia cauta atque prohibita sunt, concupiscant ac temere sequantur. Tales enim sunt multorum hominum animi, ut, quo plura habent, eo plura habere studeant in eisque expetendis ne maxima quidem pericula et difficultates timeant. Quod praecipue pertinet ad eos, qui vel opibus vel gloria aliis praestare cupiunt. Hi enim cum moleste ferant, quod nondum summam potentiam aut gloriam assecuti sint, sed ab aliis superentur, nimis freti fortuna maiora saepe appetunt, quam quae pro viribus et facultatibus consequi eis liceat. Quo fit, ut non solum ea, quae volunt, non adipiscantur, sed etiam, quae habent, amittant atque in perniciem incurrant. Idque

eo magis evenit, si ad res suas augendas malis artibus utuntur; nam tum non solum hominum odia et inimicitias, sed etiam deorum iram et poenas contrahunt. Pestifera igitur sunt haec immodica et temeraria studia hominum, notata illa ab Horatio, qui carmine III. libri I. severa castigatione reprehendit eos, qui nimia earum rerum, quae humanas vires superant, cura et cupiditate teneantur, quaeque dii sibi servaverint, quasi in terram detrahere atque ipsa coelestia attingere conentur:

Nil mortalibus ardui est:
Coelum ipsum petimus stultitia neque
Per nostrum patimur scelus
Iracunda Iovem ponere fulmina.

Prometheus quidem, quod deorum iussa contempserat, gravissimas poenas luit. Cum enim ignem a coelo in terram subduxisset, haec poena ei imposita est, ut Caucaso affigeretur et vultur iecur eius quotidie dilaceraret. Quid? gigantes illi, qui eo audaciae progressi sunt, ut in Iovem ipsum impetum facerent, nonne clade sua luculenter comprobaverunt, quantae perniciei esset superbia et insolentia?

Sed obsoleta haec et ex fabulis petita; quid? historia nonne satis multa exempla praebet, e quibus apparet eos, qui nimia expetant, audaciae et intemperantiae graves poenas dare solere? Caesar quidem, inter omnes, de quibus memoriae proditum est, ingenio et virtute insignis, cum bellis in Gallia feliciter confectis Pompeium aemulum, quocum antea ad rempublicam constituendam se consociaverat, adortus pugna Pharsalica vicisset cumque multas et praeclaras victorias in Asia et Africa reportasset, tamen ea, quam assecutus erat, potentia et gloria

contentus non fuit, sed regiam dignitatem concupivit. Iam vero cum in eo esset, ut diadema capiti imponeret, ii, quibus libertas reipublicae curae erat, subito eum in senatu necaverunt.

Simile exemplum praebet nostrae aetatis memoria. Scimus Napoleonem I, potentissimum illum Francogallorum imperatorem, quamdiu iis virtutibus floruerit, quibus ad tantum inter cives suos imperium evectus erat, neque modum iustitiae et aequitatis transierit, auctoritate et gloria plurimum valuisse. Quis enim aut veterum aut huius aetatis imperatorum tot tantosque triumphos de hostibus egit? Cui unquam tot populi subiecti obediverunt? Attamen ne huius quidem potentia diu mansit. Nam postquam secunda fortuna occaecatus insolentius se efferre coepit atque superbum illud consilium totius Europae sub potestatem suam redigendae cepit, mox intemperantiae et superbiae meritas poenas solvit. Etenim cum ingentibus copiis collectis Russis bellum intulisset, adeo frigore hiemis subito ortae oppressus est, ut duabus copiarum partibus amissis quam celerrime in patriam refugeret. Neque multo post gravissimis cladibus acceptis in abditam Oceani insulam relegatus est, ubi turpissimum vitae exitum habuit. Neque meliore fortuna usus est eius fratris filius, Napoleo III, qui et ipse summum imperium apud cives suos adeptus, postquam aliquamdiu multis rebus et domi et foris praeclare gestis summam apud omnibus terrarum principes auctoritatem assecutus est, postremo superbia incitatus, cum vanam causam simulans Borussis arma intulisset, omnium opinione celerius imperio privatus atque in exsilium eiectus est.

Neque inutile mihi videtur veterum de eadem re iu-

dicia commemorare. Quorum constat eam fuisse opinionem, ut deos felicissimo cuique invidere eosque, qui superbiae indulgerent, de summo potentiae gradu deicere crederent. „*Τὸ θεῖον*, ait Herodotus, *πᾶν ἐστι φθονερὸν καὶ ταραχῶδες*“ et alio loco: *φιλεῖ ὁ θεὸς τὰ ὑπερέχοντα πάντα κολούειν*“. Atque cui hoc loco non in mentem venit colloquium illud, quod Polycrates cum Amasi, Aegypti rege, habuit? Qui cum illi omnia ex voluntate cedere neque quicquam adversi accidere videret, eius amicitiam renuntiavit, ne ipse in eandem perniciem, quam aliquando illum oppressuram persuasum habebat, traheretur. Neque praetermittendum est illud, quod apud Graecos in omnium ore erat: „*ὁ μέσος βίος βέλτιστος*“ et „*μηδὲν ἄγαν*“.

Quae cum ita sint, Icari fabula monemur, ne praecepta aliorum prudentiorum negligamus neve in secundis rebus nos efferamus aut nimia expetamus, sed semper modesti moderatique simus.

Inprimis cupiditates, quibus quasi furiis homines agitantur, coercendae atque leges et divinae et humanae observandae sunt. Quod si fecerimus, bene beateque vivemus summamque assequemur libertatem, ut est in praeclaris illis Horatii versibus:

„Latius regnes avidum domando
Spiritum, quam si Libyam remotis
Gadibus iungas et uterque Poenus
Serviat uni.“

25. Nimia libertas et populis et privatis in nimiam servitutem cadit.

Pectori humano insitum atque innatum est, ut servitutem oderit ac detestetur, libertatem amet atque ab omni impetu defendere conetur. Hanc ut assequantur vel retineant, homines omnes virium nervos intendunt, amissam ut recuperent, summos labores maximaque pericula subire ac vitam ipsam in discrimen dare non dubitant. Et profecto libertate quid homine dignius est? quid ad bene beateque vivendum magis necessarium? An putamus hominem, qui cum aliis virtutis paene divinis, tum mente et ratione praeditus sit, decere servitutis quasi catenis constringi et foede ab aliis coerceri? Aut fieri posse censes, ut felix sibi videatur is, qui, quidquid facit, ab aliorum arbitrio pendere se sentiat? Sed haec ipsa libertas, ut homini salutaris sit, legibus tanquam frenis moderanda atque coercenda est. Nimia enim libertas tantum abest, ut homini conducat, ut perniciosius ea nihil possit cogitari. Quid? quod libertate, quae modum egreditur, ipsa libertas tollitur vel, ut Ciceronis verbis utar, nimia libertas et populis et privatis in nimiam servitutem cadit?

Sed verissimum hoc esse, si paullo accuratius rem consideraverimus, facile intelligemus.

Nam ut omnia nimia, cum vel in tempestate vel in agris vel in corporibus laetiora fuerunt, in contraria fere convertuntur, ut summae arbores ac turres plerumque fulmine ictae in terram deiiciuntur, ut homines, qui divitiis et opibus praeter ceteros florent, in summas saepe calamitates et miserias praecipitantur atque ex nimia

potentia principum oritur interitus principum, sic nimis liberos populos et privatos libertas ipsa in servitutem adducit.

Atque populis quidem ex nimia libertate ut ex stirpe quadam existere et quasi nasci tyrannidem et iniustissimam durissimamque servitutem, facile est ad intellegendum. Etenim cives, qui diu magna libertate usi sunt, licet non a superbis severisque dominis premantur, tamen eo rerum statu, quem habent, contenti non esse solent, sed quo plura habent, eo ampliora cupientes etiam maiorem appetunt libertatem; lenissimas iam sapientissimasque leges putant esse graviores molestioresque, quam quas ferre possint; magistratus vel principes, nisi maiora iis iura concedunt, oderunt, insimulant, arguunt, reges tyrannosque vocant; si vel minima vis imperii adhibetur, indignantur et turpe illud iugum ferre se posse negant: quo fit, ut postremo leges et magistratus contemnere coeperint et omnibus vinculis liberi solutique esse velint. Sed funesta est haec nimia libertas. Ex hoc enim populo indomito deligitur aliquis plerumque dux contra illos principes afflictos iam et depulsos loco audax, impurus, populo gratificans et aliena et sua: cui, quia privato oppositi sunt timores, dantur imperia et ea continuantur, et postremo, a quibus productus est, exsistit eorum ipsorum tyrannus atque in eos, cum summam adeptus est potestatem, graviter severeque dominatur. Itaque populus, qui nimia usus est libertate, iam in nimiam incidit servitutem.

Sed quo dilucidius appareat, verum esse, quod diximus, exempla nonnulla in medium proferamus. Atque primum quidem Atheniensium respublica luculenter de-

monstrat, quam facile ex nimia libertate oriatur unius dominatio. Solo enim, clarissimus ille legumlator, ab Atheniensibus, quos severissimarum Draconis legum taederet, novas scribere iussus, cum sapientissime rempublicam constituisset, tamen id efficere non potuit, ut leges a se latae omnibus placerent; alii alia desiderabant pluresque factiones civitatem seditionibus perturbabant; sed postremo Pisistrato, popularis factionis principi, cui populus, ut ab adversariis se tutaretur, custodiam corporis dederat, contigit, ut Athenarum arce, quam optimates tenebant, potiretur. Quo facto, actum erat de libertate civium; nam Pisistratus, cum nemo iam ei possit resistere, suo arbitrio omnia regebat. Itaque Athenienses, quibus lenissimae Solonis leges singulorum libertatem nimis coercere visae erant, iam serviebant tyranno.

Quamquam hi non in hominis omni humanitate destituti potestatem inciderunt; nam Pisistratus animo fuit liberali magnisque in rempublicam meritis splendidisque virtutibus effecit, ut Athenienses libertatis amissae oblivisceretur. Sed aliae civitates graviorem servitutem subierunt. Tarentini quidem, cum opibus divitiisque florerent atque in maximam licentiam delapsi eo amentiae processissent, ut Romanorum naves temere demergerent et legatis, huius nefaadi sceleris rationem poscentibus, vim inferrent, in Pyrrhi, Epirotarum regis, quem ad bellum contra Romanos gerendum arcessiverant, gravem severamque dominationem venerunt. Atque ut Tarentini in Pyrrhi, sic Capuani in Hannibalis superbam dominationem et miserabilem, ut ait Livius, servitutem inciderunt. Nam cum apud eos senatus auctoritas fere nulla esset, atque luxuria diffluentes immodica uterentur liber-

tate, ab Hannibale, cui sponte urbem tradiderant, praesidio accepto foeda servitute premebantur.

Sed quid has urbes et civitates commemoro, cum ab ipsa Roma exemplum petere mihi liceat? Carthagine enim deleta, cum Romanis non iam externi hostes metuendi essent et undique divitiae, multorum malorum quasi seges et materia, confluxissent, mox pristini mores depravari et severa disciplina neglegi coepta est populusque, cum non temperatam, sed nimis meracam libertatem hausisset, mox ad tantam licentiam delapsus est, ut legibus vix coerceretur. Quo tempore cum nemo ad summos honores aspirare vel magnas in republica partes agere posset, nisi qui auram popularem captabat et ad multitudinis voluntatem se accommodabat, quam saepe factum est, ut singuli viri, qui factionibus praeerant, imperio potirentur et civitatem oppressam tenerent! Documento sunt Sulla, Marius, Caesar, Pompeius, qui populi favore ad summos honores elati nihil antiquius habebant, quam ut occasione ad imperium occupandum vel retinendum oblata abuterentur dominique civium exsisterent. Sed haec vetera. Quid? nostra aetate nonne Francogallis idem fere accidit, quod Romanis? Qui cum regem supplicio affecissent omnibusque paene legibus abrogatis maximam libertatem atque adeo licentiam instituissent, postea a Napoleone, quem libertatis defensorem fore speraverant, tanta severitate oppressi sunt, quantam antea nunquam experti erant.

Satis ex his, quae dixi, apparere puto, populis nimiam libertatem in nimiam cadere servitutem. Restat, ut de privatis pauca dicam. Paucis enim opus esse puto, ut, quod ad populos, idem ad privatos pertinere intellegatur.

Nam etiam hi nimiae saepe student libertati. Spernunt alii auctoritatem paternam, alii leges reipublicae, alii praecepta divina, hominique turpe esse rati ullis vinculis coerceri, nimiam expetunt libertatem. Sed ea in contrarium verti solet. Nam filius, qui patris auctoritatem despicit eiusque iussa neglegit, aut a patre maiore vi adhibita cogitur, ut eius voluntati se subiciat, aut, si ei parere omnino recusat, severiori morum custodi rectorique traditur. Qui autem reipublicae legibus non obtemperant atque vel civium officia temere neglegunt vel scelera committere non verentur, a magistratibus aut pecunia multantur aut in exsilium mittuntur aut in vincula coniciuntur. In gravissimam autem servitutem ii incidunt, qui cum divinis legibus parere nolint, vera libertate frui sibi videntur. Nam ut taceam de aeterna illa poena et horribili quasi servitute, qua post mortem ii, qui leges divinas neglexerunt, premuntur, etiam in hac vita impii in intolerabilem incidunt servitutem. Cupiditates enim et libidines, quas lege divina domare iubemur, quasi gravissimae dominae infinita quaedam cogunt atque imperant, quae quia nec expleri nec satiari possunt, ad omne facinus impellunt eos, quos illecebris suis irretiverunt. Itaque quoniam non sui sunt compotes, servi habendi sunt turpissimarum libidinum. Ex qua servitute, quamvis id cupiant, se eripere non possunt, quia voluntas eorum quasi fracta et vires enervatae et debilitatae sunt. Ea autem servitute quid potest esse turpius? quid homine indignius?

Quae cum ita sint, omnes virium nervos intendamus, ne libidinum servi fiamus eamque ut assequamur libertatem, quae et nobis et reipublicae saluti est. Pii simus.

erga parentes et praeceptores, obediamus legibus publicis legumque divinarum memores caveamus, ne agitemur et regamur cupiditatibus. Quod si fecerimus, veram adipiscemur libertatem et felicitatem, id quod Horatius praeclare his versibus persecutus est:

Latius regnes avidum domando
Spiritum, quam si Libyam remotis
Gadibus iungas et uterque Poenus
Serviat uni.

26. Socrates cur non accesserit ad rempublicam, demonstratur.

Hominibus cum sit natura insitum, ut, quicunque bene eis fecerit, ei gratiam et habeant et referant, patriam profecto, tot tantorumque emolumentorum parentem firmissimumque salutis nostrae praesidium, ut, quantum in nobis situm est, servemus et augeamus, non solum prudentia, sed etiam sapientia iustitiaque praecipit. Quod quamquam brevissima et proxima via assequemur, si ipsi ad rempublicam accesserimus ac statum rectum utilemque earum rerum, quae ad communem salutem pertinent, aut efficere aut restituere aut servare conabimur, tamen etiam abstinentes a publicis negotiis non minus atque interdum pro temporibus etiam plus patriae civibusque possumus prodesse. Quod verum esse, si quis fortasse dubitet, Socratis exemplo profecto eo adducetur, ut intellegat; is enim et tanta sapientia iustitiaque fuisse omnibus temporibus iudicatur, ut minime sit credibile, non gravissima causa motum omnibus prope negotiis publicis cum abstinuisse, et quae fuerit ea causa,

e temporum illorum condicione dilucide apparet. Facile enim cognosci potest, Socratem, si reipublicae administrandae se dedisset, non solum tantum, quantum revera contulit, ad salutem patriae civiumque non collaturum, sed etiam, quominus id faceret, sibi ipsum impedimento futurum fuisse.

Noluit ergo Socrates ad rempublicam accedere, et cur noluerit, plurimis e locis veterum scriptorum maximeque ex oratione illa, quam in iudicio illo capitali ab ipso habitam Xenophon nobis reliquit, satis apparet.

Ac primum quidem a publicis muneribus abhorruisse putandus est propterea, quod plurimos eorum, qui in republica versabantur, sapientia sua gloriari insolentiusque laudibus se efferre videbat, quum ipse, cum quibuscunque collocutus erat, eos omnes gravissimarum rerum inscios rudesque invenisset. Quid autem homini, qui, quamquam nemo eo sapientior erat, tamen modeste semper nihil se scire profiteretur, odiosius esse poterat, quam talis arrogantia atque vana iactatio? Cum autem intellexisset, cives eis, qui hoc modo sapientiam suam iactarent, aures praebere atque favere neque quemquam honores adipisci, nisi qui virtutis ostentatione eis se commendaret, a rebus publicis abesse maluit, quam tantae stultitiae indulgere.

Sed hoc minoris fortasse momenti cuipiam videatur. Gravius certe est, quod ipse in oratione, quam supra laudavimus, ad vivendi agendique rationem suam defendendam affert. Dicit autem haec fere: „Mirum sane multis vestrum videbitur, Athenienses, quod privatim quidem circumiens bonis consiliis singulos adiuvare conor, in concionem non audeo procedere, ut, quae e republica mihi esse videantur, vobis suadeam. Sed huius rei

causa eadem est, quam saepe iam me commemorantem audivistis, quod divina quaedam vox — *δαιμόνιον* id appellabat — in me est, quae, quotiescunque ad rempublicam accessurus sum, mihi adversatur. Et recte ea mihi videtur adversari; nam si publica negotia capessere voluissem, ipsi facile intellegetis, iam pridem me interiturum neque quicquam aut mihi aut vobis profuturum fuisse". Quod vere ab eo dictum esse nemo, qui illorum temporum rationem perspectam habet, non concedet. Illa enim aetate, qua cives inter se ipsos discordiis et factionibus distinebantur, Atheniensium animi in maiorem, quam antea unquam, mobilitatem atque inconstantiam diffluxerant, ita ut ii, qui reipublicae operam dabant, invidia alienarum factionum, hostium insidiis, civium ingrato animo semper petiti in periculo essent, ne aut in exsilium ejicerentur aut capitis damnarentur. Quod Socrates ipse non veretur Atheniensibus obicere. Negat enim (Ap. 31, c) quemquam mortalium salvum fore, qui ipsis aut alii multitudini ingenue obsistat impediatque, quominus iniusta et legibus vetita in republica fiant, sed necesse esse eum, qui pro iustitia pugnet, si paullisper salvum se esse velit, privatam vitam agere, non in publicis negotiis versari.

Idque Socrates sua ipsius experientia edoctus dixit. Nam quamquam publico ullo munere functus non est, tamen aliquando *βουλευτής*, qui a Graecis appellatur, fuit, quo tempore decem illos imperatores, quod pugna apud Argenusas insulas facta mortuos e fluctibus non collegissent, supplicio affici volebant; tum collegis obstitit, ne quid contra leges facerent, et, quia populi libidini obsequi nolebat, a publicis oratoribus in custodiam ab-

duci iussus est. Et postea, pro imperio populari paucorum dominatione constituta, cum triginta illi tyranni eum cum quatuor aliis arcessivissent eisque imperassent, ut Leontem Salaminium comprehensum Athenas ad supplicium ducerent, ipse huius iniustitiae particeps fieri noluit, cumque ceteri Salamina proficiscerentur, domum rediit et necatus haud dubie esset, nisi subito tyrannorum imperium esset sublatum.

Quaeret fortasse aliquis: Quid? decetne virum sapientem mortem ita metuere, ut, ne eam subeat, a republica administranda abhorreat? Turpe id quidam est et forti viro indignum; sed multo turpius res iniustas opera sua adiuvare; quod quia sibi faciendum esse intellexerat, si publicis muneribus fungi voluisset, maluit iis abstinere et privatus civibus prodesse, quam eis novae iniuriae sibi inferendae causam et occasionem praebere. Atque se eo in patriam esse animo, ut mortem pro ea oppetere non dubitaret, non semel vir divinus re comprobavit; primum in pugna apud Potidaeam facta, in qua tam strenue pugnavit, ut Alcibiades et se et ceteros omnes fortitudine ab eo superatos seque eius auxilio mortis periculo ereptum esse fateretur; maxime autem in capitis illo iudicio, in quo nec iudicibus supplex fuit et liberam illam contumaciam adhibuit, qua eorum animos offenderet magis, quam ad misericordiam adduceret, et supremo vitae die, quo, cum facile posset educi e custodia, noluit, ne legi fraudem faceret.

Mortem igitur timuisse Socrates minime est putandus; sed quum a publicis negotiis abstinuit, id maxime spectavit, ut privata opera civibus quam plurimum prodesset. Hoc enim a Deo munus sibi datum esse arbitra-

batur, ut cives bonos probosque homines redderet eaque doceret, quae ad vitam beatam necessaria essent. Cumque varia hominum studia vitaeque rationes diligenter consideranti ei persuasum esset, eos beate vivere, qui recte viverent, nec melius hominum miseriam levari posse, quam si ad virtutem et honestatem colendam impellerentur, hoc sibi proposuit, ut eos colloquiis et sermonibus sapientiae virtutisque amore incenderet. Qua re melius de civibus meritus est, quam antea aut postea ulli homini contigit; quin etiam id agens tantam lucem hominibus attulit omnibus, ut, quicunque verae philosophiae operam dederunt magistrique hominum exstiterunt, aut eius discipuli ipsi fuerint aut ex iis, qui eum audiverant, sapientiam animique excellentiam et magnitudinem hauserint.

Verumtamen ne ita quidem, quamquam ad rempublicam non accessit et boni civis officio omni modo satisfecit, Socratem Atheniensium invidiam effugisse scimus. Nam quanta eius essent in patriam atque in totum genus humanum merita, cum non intellegerent, eum iniquo iudicio circumventum capitis damnaverunt.

27. De iustitia, firmissimo civitatum fundamento.

Iustitia est omnium non domina modo et regina virtutum, sed etiam parens et altrix, a qua sicut ex fonte quodam in omne hominum genus leges et iura manarunt, quae bene factis honores et praemia, male factis ignominias et supplicia proponens bonorum studia excitat, malorum improbitatem coercet. Ea est quasi tutus portus, quo et singuli et nationes a procellis vehementissimis

prohibentur, ea certum sanctumque fundamentum, quo omnes res nostrae et rationes, omnia hominum inter se vincula, omnes coniunctiones generis humani et communitates nituntur, quo cuiusque civitatis status et firmitas, pax et tranquillitas, concordia et securitas, salus denique et incolumitas consistunt; quo sublato non domus ulla, non civitas, non hominum inter se societas, non ipsa denique universitas rerum stare ac tueri se punctum temporis posset.

Quod quidem vel ex familiae et vitae societate convictuque hominum in vita communi intellegi potest. Qui enim patrifamilias cum uxore, cum liberis, cum servis, quae primae sunt coniunctiones, convenire potest, nisi et ille iuste imperet et hi iuste pareant? Atque in vita publica qui omnes res semper egregia cum iustitia gerit, non modo veram efficit utilitatem, sed etiam ab omnibus amatur et colitur, laudatur et honoratur. Iniustum autem hominem quis est quin quasi maleficum aliquod et noxium animal evitet et contemnat? Ita iustitiae bona et commoda, iniustitiae mala et damna in singulis aut singulorum societatibus videmus, evidentissime vero in magnis populis, regnis, imperiis. Quid? civitates nonne omnes nulla alia re nisi iustitia aut initio fundantur et constituuntur aut postea per multa saecula conservantur? et iustitia neglecta nonne partibus, factionibus, seditionibus penitus convulsae et subversae ad extremam perniciem adducuntur? Ubicunque autem iustitia eiusque sorores, veritas et fides, dominantur, illinc fraudes, doli, discidia, bella civilia exulant; iustitia si omnibus locis coleretur, nunquam fere tubae, nunquam litui audirentur, bellorum, litum, inimicitiarum ne nomina quidem hominibus co-

gnita essent, ea denique propemodum evenirent, quae aureae aetatis hominibus evenisse memorantur. Neque stabiliuntur modo et conservantur, sed etiam augentur et amplificantur civitates iustitia. Ea populi ab exiguis et humilibus profecti primordiis brevi ad summam potentiam bellique gloriam pervenerunt, iniustitia florentissimae et opulentissimae nationes breviore tempore corruerunt. Ut vero generali hac sententia proposita ad argumentum nostrum paullo accuratius pertractandum transeamus, singula publicae iustitiae officia, in quibus summa fide colendis tota civitatum salus et securitas posita est, pluribus illustremus.

Ac primum quidem ii, qui rebus publicis praesunt, summa virium contentione id spectare debent, ut et civium inter se societas sancta incolumisque servetur et ea diligenter curentur, quae ad augendam populi opulentiam et prosperitatem pertinent. Nam et se congregaverunt homines vitamque communem uno aliquo, qui virtute praestabat, principe et duce degere statuerunt, quod viribus unitis aequo se iure usuros et iis, quae suis sibi laboribus peperissent, sine metu fruituros esse neque magis moenibus quam legibus a vi iniuriisque tutos fore confidebant, et, quamdiu hoc observatur, tamdiu familiariter et concorditer inter se vivunt; ubi vero primum ab aequitate receditur, factiones, discidia, bella civilia exsistunt. Principibus igitur civitatum hoc officium impositum est gravissimum, ut maxima severitate utantur in iniuriis ab infirmioribus prohibendis et summis infimis aequabilitatem iuris servent. Utinam hi viri semper officii sibi iniuncti magnitudinem agnoscant videantque, ne potestate abutentes culpam inexpiabilem suscipiant! Qua in re in-

primis curandum est, ut leges, quae idcirco sunt inventae, ut cum omnibus semper eadem voce loquerentur, summa cum diligentia et severitate exerceantur. Quo plus autem auctoritatis et gravitatis sit legum custodiae, eam praesidio satis firmo publice adiuvari necesse est; qui enim bonorum virtus defendi, improborum malignitas coerceri potest, nisi reipublicae opes et auxilia ad observandas leges severissime cives impellunt? qui malis scelestisque hominibus turpia consilia molientibus terror inici, qui bonorum animi fiducia, spe et securitate impleri possunt, si sunt, qui impune leges neglegere et omnia iura humana et divina pervertere audeant? Profecto, si respublica a nullo leges violari aut falsa interpretatione inverti patietur, omnibus locis tranquillitas, securitas, firmitas erit; non maligni, quantumvis feroces, vel aperte vel clam humanam societatem turbare audebunt; non adulteri, non fures, non sicarii, non itinerum obsessores reperientur.

„Tutus bos etenim rura perambulat,
Nutrit rura Ceres almaque Faustitas,
Pacatum volitant per mare navitae,
Culpari metuit Fides;

Nullus polluitur casta domus stupris,
Mos et lex maculosum edomuit nefas,
Laudantur simili prole puerperae
Culpam poena premit comes“;

ut suavissime cecinit Horatius carm. IV. 5, 17 sqq. Salva igitur legum custodia agricultura, navigatio, mercatura, omnia denique hominum negotia pacis beneficio laete efflorescunt; publica securitate confisi omnes boni cives honestatis studio incensi sunt, omnes ardent patriae amore, omnes praeclaro certamine rempublicam adiuvare et tueri student.

Sed non modo conservare ac stabilire, verum etiam augere omnibusque bonis cumulare humanae statum societatis munus est reipublicae, nisi a iustitia turpiter vult discedere. Itaque favere debet omnibus bonorum studiis, quae ad mores confirmandos, ad veram humanitatem ingeniique cultum efficiendum et ad fortunam populi amplificandam conferunt eaque firmissimo praesidio adiuvare, sincero communis salutis studio inflammata. Et maxime quidem videndum est, ut civium pectora et sancta erga Deum pietate et egregio liberalitatis beneficentiaeque studio imbuantur: quibus quidem non est ullum vinculum humanae societatis firmius. Quare summo opere et eos, quibus religionis cura commissa est, ab omni nefario impetu defendere et eos, qui hominum inopiae et indigentiae saluberrimis beneficentiae institutis subvenire student, adiuvare tuerique debet respublica. Quid vero? potestne civitas, quin a iustitia discedat, aequo animo videre, quibus doctrinis formetur iuventus? annon maxime eius interest curare, ut rectis sententiis veraque humanitate imbuantur mentes adolescentium? Quid enim reipublicae maiori potest perniciei esse, quid statum communem magis subvertere, quam quum iuventuti, quae adulta aliquando futura est praesidio civitati, a prima aetate perversae pravaeque notiones imprimuntur? quid autem reipublicae maiorem affert utilitatem, quam bona iuventutis conformatio? Quodsi civitas omnia vere utilia adiuvare, omnia damnosa quam longissime removere studet, salus hominum communis munita, pax firmata, fortunae civium tutae, omnia secura sunt.

Alterum publicae iustitiae officium haud minus grave est illud, ut ipsa civitatis administratio semper severa

iustitiae et aequitatis praecepta domi forisque sequatur. Ac primum quidem, ne civium inter se societas discidio ullo aut tumultu turbetur, reipublicae respiciendum est, ut non callidi et versuti veteratores, sed spectati viri fidique, continentes et innocentes publicis muneribus fungantur. An caveri potest, ne iudicia legesque iniuste exerceantur, ne tributa vectigaliaque inique aut imponantur aut exigantur neve rebus communi saluti minime salubribus, sed privatis iniustisque commodis serviant, si in eligendis magistratibus generis tantum nobilitatis aut divitiarum aut largitionis, non dignitatis et virtutis ratio habetur, si ii, qui reipublicae gubernacula tenent, astutia, perfidia, iniquitate, non fide et simplicitate, non integritate et temperantia excellunt? Neque vero unquam ipsa respublica utilitatis specie, quantumvis blanda, ad iniquitates afferendas aut ad cives vexandos eorumque bona diminuenda allici, aut partem civium tueri, partem neglegere, sed omnia omnium iura illaesa semper et sancta servare debet. Nihil enim civitatem in maius discrimen vocare potest, quam quum iniuria ab ipso magistratu infertur. Nam simulac populus ab ipsis magistratibus iustitiam violari sentit, fieri non potest, quin unusquisque quamlibet iniuriam sibi concessam esse arbitretur, neque multum aberit, quin respublica singulorum cupiditatibus turbisque convulsa ad interitum ruat.

Sed non domi modo, verum etiam foris aeterna iustitiae praecepta reipublicae observanda sunt. Civitas tantum absit, ut foris prava aut vana studia sequatur, ut omnibus humilibus rationibus postpositis semper aequitatem respiciat et inprimis provideat, ut patriae nomen semper summa cum verecundia et admiratione ab exteris

nationibus vocetur. Atque etiam in acerbissimos hostes ultro bellum inferentes iustitiam servet oportet; „nam, ut ait Cicero, in republica maxime conservanda sunt iura belli". An exterae nationes verecundia nostri nominis ductae nostris rebus parcent, si ipsae iniuriis a nobis affectae erunt? num civitas nostra aequitatem ab hostibus victoribus exspectare poterit, si ipsa a iustitiae officiis recesserit? nonne infamis erit et ab omnibus gentibus contempta et immoderatae victorum libidini patebit? Apparet igitur nulla re civitatem melius apud alias nationes auctoritatem et existimationem servare, nulla re melius ab omni vi externa se tueri posse quam iustitia. Semper igitur pacta foederaque praestet, pacem servet bellumque, maxime iniustum, evitet et detestetur, nisi patria in discrimen periculumque vocata arma capere cogit. Quod quidem tum eo maiore cum audacia bonique eventus spe faciet, quod cives iustam patriae causam agnoscentes prompti paratique erunt ad eam defendendam et mortem ipsam pro eius salute oppetere non dubitabunt.

Haec iustitiae praecepta si in omnibus civitatibus tenerentur, nonne totus humanae societatis status tutus, incolumis, tranquillus esset? Profecto fortunata ea terra, in qua omnes et cives et magistratus praeclaro honestatis et virtutis amore inflammati iustitiae adhaerescunt! fortunata respublica, quae nunquam a iustitiae officiis discedit! Laeta florent multitudine urbes, firmo iustitiae fundamento fundatae; nunquam bello, nunquam tumultu, nunquam alia eiusmodi peste conflictantur.

28. De diversis iniustitiae generibus et causis.

Quamquam homines facile in eam adducuntur sententiam, ut supervacaneum esse arbitrentur, in iniustitiae genera et causas inquirere, quoniam unicuique vox quaedam insita atque innata sit, quae eum, si quid facturus sit, quod abhorreat a iustitia, dehortetur et, si peccaverit, graviter accuset, tamen haud inutile mihi videtur diversa iniustitiae genera et causae quae sint constituere; nam si cognita ea habent homines ac perspexerunt, quam turpis sit omnis iniustitia, eo facilius prohibentur, quominus iniusti quicquam committant.

Genera autem iniustitiae sunt duo; unum eorum, qui inferunt, alterum eorum, qui, quamquam possunt, non propulsant iniuriam. Peccant igitur non ii solum, qui impetum in quempiam vel in eius rem familiarem faciunt et quasi manus ei inferunt, sed etiam, qui iniuria alios affici patiuntur, quam, si viribus suis uti velint, possint prohibere. Idque, quod postremo loco posui, eo magis urgendum est, quod haud exiguus est numerus eorum, qui, cum altero genere iniustitiae vacent, in alterum incurrant, quia a se alienum putant aliorum salutem curare.

Iniuriarum autem, ut genera sunt diversa, ita plures esse possunt causae.

Ac prima quidem et frequentissima iniustitiae causa est avaritia. Quamvis enim omnis iusta rectaque laudanda sit rei familiaris amplificatio, quam dignissimam esse hominum studiis dicere non vereor, tamen si hoc rerum augendarum studium modum excedit atque in turpem illam et insatiabilem contemptamque ab optimo

quoque aviditatem evadit, vehementissime est vituperandum, quippe quod et per se maxime sit hominibus indignum et multas gignat iniurias. Nam cum ii, qui pecuniam opesque immodice et intemperanter consectantur, quidquid agunt, ad suum emolumentum referant nec ab ulla re abhorreant, dummodo id, quod volunt, consequantur, non solum aliorum hominum salutem non curant, quod et ipsum quoddammodo est iniuriosum, sed etiam, si res postulare videntur, maximis eos iniuriis afficiunt neque humana aut divina iura pervertere verentur. Fides, sine qua societas humana esse non potest, dictorum conventorumque constantia, in qua omne hominum inter se commercium positum est, omnia denique, quae ab honestis religiosisque hominibus observantur, apud illos nihil valent, nisi quid ad ipsorum commodum augendum conferunt, contra mendacium, perfidia, fraudes, omnes denique malae artes illis in promptu sunt. Atque huic immoderatae rei augendae cupiditati si adiuncta est potentia, ne sceleribus quidem atque flagitiis abstinetur, ut olim praetores Romani in provinciis suppliciis vel proscriptionibus usi sunt in eos, quorum opibus suas se augere posse arbitrabantur. Maxime autem illud proprium est avaritiae, ut, cum ceterae fere cupiditates aliquando satietate afficiantur opprimanturque senectute, illa nunquam possit impleri et aetate procedente non modo non diminuatur, sed etiam crescat in dies et inveterascat. Atque quo maior fit, eo plures iniuriae ex ea nascuntur.

Huic pecuniae aviditati simillima est et quasi cognata cupiditas imperiorum, gloriae, honorum, qua dolendum est, quod maximi quique altissimique animi homines facillime adducuntur, ut iustitiae eos capiat oblivio.

Ut enim pecuniae, ita honoris gloriaeque avidi hominis insatiabilis est animus. Vix enim aut impetratis aut extortis iis, quae cupiunt, inexplebili quasi siti agitati iam ad alia ac maiora tendunt, quae omni qua possunt ratione sive ficta comitate et precibus sive vi et crudelitate assequi conantur. Qua potentiae honorumque contentione fieri non potest, quin multis hominibus summae saepe inferantur iniuriae. Geruntur enim propter unius immodicam imperandi vel excellendi cupiditatem bella cum inter externas gentes, tum inter eiusdem civitatis homines, e quibus omnia, quae cogitari possunt, mala et iniuriae oriuntur. Declaravit id luculentissime temeritas Napoleonis I., qui ob infinitam principatus auctoritatisque cupiditatem omnia iura divina et humana miscuit et pervertit et plurimis Europae nationibus nefandas et incredibiles iniurias intulit.

Atque haud raro iniuriae, quae nocendi causa de industria inferuntur, proficiscuntur a metu, cum is, qui nocere cogitat, timet, ne, nisi id fecerit, ipse aliquo afficiatur damno. Quod cum aliis tum maxime evenit iis, qui vel malis artibus ad principatum pervenerunt vel iniuste magnas sibi opes paraverunt. Qui cum et mala semper conscientia agitentur et multos habeant inimicos, in omnibus aliorum dictis factisque odii invidiaeque significationes suspicantur, omnes sibi infensos opinionis errore sibi fingunt vertuntque omnia quamvis bona in malam partem. Itaque fit, ut falso metu perterriti, cum undique sibi pericula imminere opinentur, ea nova iniuria effugere conentur ac persaepe in innocentissimos homines crudelissime animadvertant.

Turpissima vero nocendi causa est malitia atque odium quoddam humanum. Nam qui nullam aliam ob causam aliis hominibus damna inferunt, nisi quod omnem vitae societatem oderunt et bonis hominibus, quia ceteris in amore et deliciis eos esse vident, male cupiunt, ii omnem humanitatem exuerunt habentque in se animum, quo atrocius detestabiliusque nihil esse potest, et magis sunt timendi quam ferocissimae belluae.

Ac de inferenda quidem iniuria satis dictum puto; iam transeamus ad praetermittendae defensionis deserendique officii causas, quae plures esse solent. Alii enim aut inimicitias aut labores aut sumptus suscipere nolunt. Etenim sunt, qui nos, quamdiu in rebus secundis et securitate versamur, adulentur, verique amici haberi velint et ad omnia pericula a nobis defendenda parati, cum vero graves iniurias nos accepturos vident, quamquam eas arcere possunt, nos deserant, quippe qui commoditatibus nostris frui quam nos adiuvare malint metuantque, ne, si id fecerint, aliorum inimicitias sibi contrahant aut ipsi rei familiaris iacturam faciant. Huc pertinet illud, quod dicitur:

> Donec eris felix, multos numerabis amicos,
> Tempora si fuerint nubila, solus eris.

Alii autem pigritia, inertia, neglegentia inducuntur, ut defendendae iniuriae officium deserant. Nam qui ignavia capti desidiaeque dediti nihil antiquius habent, quam ut suam cutem curent neque unquam ad efficienda ea, quae honesta sunt et laudabilia, se erigere possunt, quomodo hi animum inducant alios ab iniuriis defendere? Immo omnes, quos tueri debent, turpiter derelinquunt, ne ipsi e desidia excitentur. Alii denique studiis

rei familiaris aliisve occupationibus impediuntur, quominus iniuriis, quae alicui inferuntur, obsistant. Nam cum nimia rei augendae contentione implicati ea solum spectent, quae ipsis prodesse possint, aliorum hominum aut obliviscuntur aut ad eorum saluti consulendum tempus se deficere simulant. Hi quamquam non faciunt iniuriam, tamen peccant. Deserunt enim vitae societatem, quia nihil conferunt in eam studii, nihil operae, nihil facultatum.

Haec sunt diversa illa genera et causae, e quibus maxime iniustitia proficiscitur. Sed in omni iniustitia id maxime respiciendum est, utrum consulto ac dedita opera an perturbatione aliqua animi, quae brevis est et ad tempus, fiat iniuria. Nam eas, quae e repentino animi motu nascuntur iniuriae, multo leviores esse quam quae meditatae et praeparatae inferantur, facile apparet. Hoc enim, quae est natura humana, nunquam possumus cavere, ne ira aut alia animi concitatione abrepti interdum iniuste faciamus, cuius posthac sedato illo impetu vehementissime nos poeniteat. Huic iniustitiae generi veniam dandam nec eadem, qua illam, severitate damnandam eam esse, nemo non facile intellegit.

29. Tempori cedere, id est necessitati parere, semper sapientis est habitum.

Nescio an nihil turpius sit inconstantia et levitate. Et vix quisquam est, quin eos contemnat ac despiciat, qui, ut res ferunt, sententias suas tanquam vestes mutant et quidquid faciunt, non iustitiam aut honestatem, sed solam utilitatem respiciunt. Sed ut vituperandi sunt

homines mobiles inconstantesque, ita laude digni videntur prudentesque habendi sunt, qui rerum hominumque, quibuscum vivunt, semper rationem habent eaque, quae mutari non possunt, aequo animo ferentes non desperant, sed meliora tempora exspectant. Nam tempori cedere, id est, necessitati parere, semper sapientis est habitum.

Quod quam recte dictum sit, non difficile est ad intellegendum. Etenim cum homo omnia sua a Deo habeat benigno, cumque natura sit imbecillis et debilis nec sine aliorum ope et societate vivere possit, magnae est et superbiae et stultitiae iis, quae aut Deus ipse aut tempora postulent, repugnare rebusque non ad voluntatem fluentibus mortem sibi consciscere malle, quam quidquam grave et acerbum pati. Immo vir sapiens, cum, quaecunque eveniunt, divinam providentiam spectet, ubi frustra se fortunae resistere intellexerit, ea, quae nec mutari nec vitari possunt, patienter feret et quamvis vehementi dolore et tristitia afficiatur, tamen ad desperationem non adducetur; nam ut in rebus secundis semper adversas metuit, ita in adversis sperat secundas neque unquam subita rerum mutatione opprimitur, quoniam omnia in hac terra mutabilia esse scit. Quare non perturbatur rebus adversis nec desperat, quantacunque calamitate afficitur, sed praecepti illius Horatiani memor:

„Levius fit patientia
Quidquid corrigere est nefas"

aequo animo vel gravissima mala perfert.

Cuius sapientiae egregium exemplum edidit Hercules. Quem facit Euripides in fabula quadam, cum vehementer uxorem liberosque a se caesos doleret, primo id agentem, ut mortem sibi consciscerat, mox autem con-

silium mutantem, metu, ne id sibi ignaviae tribueretur. Neque minus aptus est, qui hoc loco commemoretur, Ulixes ille Homericus. Quam multa is passus est in errore illo diuturno! Quoties in remotas ignotasque terras delatus est tempestatibus! Et cum post decem annorum errores tandem in patriam rediisset, etiam ibi contumelias servorum ancillarumque pertulit, ut ad id aliquando, quod cupiebat, veniret. Atque similem in rebus asperis patientiam et constantiam comprobavit alius dux belli Troiani, Teucer. Qui una cum Aiace fratre ad bellum Troianum profecturus Telamoni patri, Salaminis regi, promiserat se non sine fratre rediturum. Cumque Troia capta Aiax sibi ipse manus intulisset et Teucer diuturno illo molestissimoque bello confecto sine fratre ad patriam insulam appelleret, a duro immanique patre repudiatus est. Neque tamen in hac tanta calamitate desperavit, sed novam petere patriam protinus statuit, sic fere tristes socios allocutus:

Quo nos cunque feret melior fortuna parente,
Ibimus, o socii comitesque!
Nil desperandum Teucro duce et auspice Teucro;
Certus enim promisit Apollo
Ambiguam tellure nova Salamina futuram.
O fortes peioraque passi
Mecum saepe viri, nunc vino pellite curas!
Cras ingens iterabimus aequor.

Nec vero a fabulosis tantum temporibus illis, sed etiam a memoria fide contestata exempla peti possunt illustria. Quid? Cicero praeclarus ille vir, nonne et aliis auctor fuit, ut temporibus cederent, et ipse saepe cessit? M. Marcellus, Ciceroni amicissimus, cum Pompeii, cuius partes secutus erat, opibus clade Pharsalica exstinctis rempublicam Caesaris dominationi cessuram putaret, procul a pa-

tria, quam in civitate libertatis experte degere maluit. Quare Cicero eum litteris oravit et obtestatus est, ut rediret, praecipue quod rerum status non alius futurus fuisset, si Pompeiani vicissent; necessitati enim, quam fatum afferret, parendum esse. Atque quod alii ut facerent, postulavit, ipse exemplo suo confirmavit. Nam cum coniuratione Catilinaria patefacta et oppressa maxima floreret auctoritate, omnibus viribus nisus est, ut reipublicae libertatem, quae periculum erat, ne a Caesare opprimeretur, integram conservaret. Neque tamen prohibere potuit, quominus ille rerum potitus in omnes Romanos dominaretur. Sed ne tum quidem de republica desperavit, sed sperans fore, ut aliquando libertas restitueretur, recessit in otium et solatium a philosophia petiit. Neque spes illa eum fefellit; vidit enim Caesare interfecto libertatem paulisper quidem reviviscentem. Atque ut Cicero, ita Horatius, Romanae ille fidicen lyrae, tempori sapienter cessit. Cum enim Brutus et Cassius Caesare interfecto bellum pararent contra Antonium et Octavianum, qui summam in republica potentiam appetebant, ad illorum partes Horatius se applicavit. Sed cum illi defensores libertatis apud Philippos occubuissent, multorum nobilium Romanorum, qui sibi ipsi manus intulerunt, exemplum non est secutus, sed cum experientia edoctus intellexisset, plurimos eorum, qui ardentissimum patriae libertatisque amorem prae se ferrent, sua commoda reipublicae saluti prima quaque occasione anteponere, minimeque dubitaret, unde vera reipublicae salus expectari deberet, necessitati obedivit et tristi quidem animo, sed non invitus veniam ab Octaviano ultro oblatam accepit.

Atque etiam Tacitus eiusque socer Agricola luculento

nobis sunt documento, quomodo in rebus adversis agendum sit. Nam cum Domitianus, impotens ille et crudelis tyrannus, imperio potitus esset, qui optimum quemque et ditissimum e medio sustulit, Agricola, qui tum praefecti munere in Britannia summa cum gloria fungebatur, ab invido tyranno Romam revocatus est, ubi quotidie ei timendum erat, ne interficeretur. Sed quamvis iniustus esset imperator, tamen aequo animo necessitati paruit et procul a republica reliquam vitam degit. Neque minore sapientia usus est Tacitus, qui, qua erat prudentia et animi moderatione, sub crudeli illo tyranno, quem omnes timebant, etiam praeturam aliosque honores assecutus est. Unde licet intellegere Tacitum, quamvis valde commoveretur principis libidine et immanitate, tamen Agricolae exemplum secutum prudenter moderateque tulisse, quae mutare non posset, neque superbia aut immatura libertate inductum esse, ut crudelitatem tyranni nulla reipublicae utilitate excitaret. Itaque exemplo suo comprobavit etiam sub pessimo principe viros bonos esse posse ac „licere inter abruptam contumaciam ac deforme obsequium iter pergere ambitione periculisque vacuum".

Haec, quae attuli exempla, satis declarare puto, quam sapienter illi agant, qui necessitati pareant. Quod quo magis appareat, iam illos consideremus, qui prorsus contraria ratione usi sunt rebus non ad voluntatem fluentibus. Multi enim inveniuntur, qui, cum ad irritum redigantur ipsorum studia et incepta, omni salutis spe abiecta de rebus futuris desperent atque eo procedant amentiae, ut ipsi sibi mortem consciscant. Qui tantum abest, ut fortes et magnanimi habendi sint, ut timidos et ignavos iure eos dicas, quippe qui eo ipso, quod malum

subterfugere studeant, se non pares esse demonstrent, ei incommodo ferendo, quod ne subeant, vitam relinquunt. Neque vero ignobiles modo et indocti homines tam demisso stultoque fuerunt in rebus asperis animo, sed etiam clarissimi nobilissimique viri. Quid enim? Cato Uticensis, quamvis alii praedicent eius „nobile letum“, nonne, si vera fateri volumus, ignaviae et stultitiae accusandus est? Cum enim pugna apud Thapsum facta omnes, qui reipublicae libertatem defendebant, a Caesare devicti esse viderentur, Cato se libertatis interitum ferre non posse ratus ipse se interemit. Cicero quidem eum ob hoc facinus laudat dicitque ei, cum incredibilem natura tribuisset gravitatem eamque ipse perpetua constantia roboravisset semperque in proposito susceptoque consilio permansisset, moriundum potius quam tyranni vultum aspiciendum fuisse (Cic. de off. I, § 112). Sed nos aliter indicamus. Nobis enim persuasum est mortem voluntariam esse hominis ignavi et de divina providentia desperantis. Nam cum nihil magis pertineat ad divinam providentiam quam vita hominum, quo bono nihil carius praeclariusque nobis datum est, maximae non solum stultitiae, sed etiam impietatis esse apparet, mortem sibi consciscere. Vetat enim dominans ille in nobis Deus iniussu suo nos hinc demigrare. Atque non solum in Deum, sed etiam in suam ipsius naturam peccat is, qui vi vincula illa, quibus animus cum corpore coniunctus est, rumpit; peccat denique in hominum societatem, quoniam cives turpiores deterioresque esse iudicat, quam quorum consuetudine diutius utatur.

Ignavi igitur et nefarii hominis est desperare in rebus asperis, sapientis fortisque ne adversissimis quidem

rebus perturbari, sed praesenti semper animo uti nec unquam a ratione discedere. Et in adversis et in secundis rebus sapiens aequo tranquilloque erit animo, non oblitus illud Horatii:

„Sperat infestis, metuit secundis
Alteram sortem bene praeparatum
Pectus. Informes hiemes reducit
Iupiter, idem
Submovet. Non si male nunc, et olim
Sic erit: quondam cithara tacentem
Suscitat Musam neque semper arcum
Tendit Apollo."

30. De vi et natura historiae.

Si simpliciter historiae nulla adiecta singularis partis significatione mentio fit, cogitamus fere de historia universali, quae ita videtur definiri posse, ut eam dicamus enarrationem vicissitudinum memoratu dignarum, quas humanum genus temporum progressu subierit, atque eam quidem enarrationem, quae luculenter doceat, qui fuerit universus rerum humanarum unoquoque tempore status.

Insitum id est ab ipsa natura homini, ut quidquid aut ipse vel agat vel sentiat vel cogitet aut ab aliis videat agi, sentiri, cogitari, quod quidam aliquam ob causam memoria dignum sit, id memoriae vi complecti velit, ita ut et sui ipsius semper sibi conscius sit et veram rerum, quae circa eum geruntur, notitiam mente concipiat. Sed cum vis memoriae non satis firma et certa sit, homo eas res, quarum memoriam quam longissimam et certissimam efficere vult, literis consignat. Natura mentis humanae maxime ex iis apparet, quae quisque fecit, sensit animo vel cogitavit; nam non solum in externis actioni-

bus posita est hominis vis et natura, sed etiam et vel maxime, in sentiendo et cogitando. Summa in homine sunt recte sentire, recte cogitare, recte agere: his tribus aptissime in aliquo homine coniunctis summa eius dignitas continetur. Quum igitur sui sibi conscius esse velit unus quisque et maxime quidem eo, quod sua ipsius acta, sensa, cogitata memoria complectatur, idem usu venit in totis gentibus, in universo genere humano; quam maxime gentium singularum et totius generis humani interest, sua ut acta, sensa, cogitata memoria servent, ut sui sibi conscii sint et sui simulacrum in hoc quasi speculo spectent, idque ut efficiant, summo labore contendunt rerum scriptores; qui operam dant, ut singulae gentes aut universum genus humanum sui quasi imaginem habeant, quam intuentia sui ipsorum conscia sibi fiant, ut suarum rerum memoria se ipsa cognoscant. Magnum sane meritum est praeteritorum temporum sempiternam memoriam litterarum monumentis eam consignando et stabiliendo posteritati prodidisse et rerum humanarum, id est, omnium eorum, quae unquam ullo in genere mentem humanam insignius permoverint, veram adumbrasse imaginem.

Facile apparet earum rerum, in quibus explicandis historia versatur, immensam esse varietatem, quum non solum acta, sed etiam sensa et cogitata animi humani eius lucem desiderent. Nam artium ab hominibus inventarum, religionum ex intimis mentis humanae recessibus profectarum, disciplinarum in vero, honesto utilique exquirendo positarum, omnium omnino studiorum, quibus mens humana aliquid proficere voluit ad sui ipsius cognitionem et ad virium suarum usum augendum, et quibus

speciem quandam summae perfectionis humanae procreare conata est, omnium harum rerum memoria amplis historiae spatiis continetur. Itaque praeter vitas singulorum hominum, qui rebus gerendis aut artium cultu aut sacris constituendis aut in rerum naturam inquirendo aut aliis animi virtutibus insignes exstiterunt, praeter historias singularum gentium vel singularum ab iis gestarum rerum, denique praeter universi generis humani historias sunt etiam singulares religionum, litterarum artiumque historiae et hae quidem maximam vim habent ad definiendum eum culturae et humanitatis statum, quem in singulis temporum quasi gradibus obtinuerit ipsa mens humana.

Sed hoc loco imprimis eam historiae disciplinam spectemus, quae in ipsis singularum gentium et totius generis humani rebus publice gestis describendis versatur, cuius in principio non alienum videtur paullo accuratius in rerum humanarum rationem inquirere et, quaenam in iis sit summa illa vis, quae omnia moveat et in omnibus dominetur, explorare.

Facile unusquisque sentit, se ad summam, quam quidem assequi possit, felicitatem pervenire non posse, nisi plena libertate utatur ea consilia perficiendi, quae prudentia et ratione invenerit. Hinc summa vi nititur, ut e rationis legibus agat et necessaria ad recte agendum et beate vivendum libertate utatur, id est, ut facultatibus sibi insitis libere uti possit ad salutem suam augendam et stabiliendam. Atque ut singuli, ita totae gentes ad eundem libertatis finem tendunt. Facile autem apparet neque singulorum neque totarum gentium libertatem in vesanam quandam licentiam debere degenerare, quae

communi utilitati prorsus contraria sit; sed leges inveniendas esse, quibus singulorum libertas coerceatur. Harum legum primum locum ea obtinet, qua summa in unaquaque civitate potestas constituitur. Sed hae leges in singulis civitatibus diversissimae sunt. Aliae enim gentes unius imperio nullis legibus circumscripto, aliae item unius imperio, sed certis quibusdam finibus incluso, aliae proceribus summa rerum gerendarum potestate tradita, aliae totius populi summae auctoritatis communione communi saluti optime consuli persuasum habent. Deinde commoda et studia unius commodis studiisque alterius videntur impediri, ita ut suis quisque rebus utile putet alterum sibi officientem impugnare. Qua ex opinionum studiorumque differentia dissensiones et inimicitiae, deinde acerbissime gestae contentiones oriuntur, ita ut infestis animis alteri alteros insectentur. Hinc singulorum rixae, hinc totarum gentium certamina, hinc ingentes fortunarum ruinae, hinc bella et cruentae caedes.

Omnia haec ex humanis erroribus consequuntur, e falsa rerum bonarum et maxime quidem communis salutis et libertatis interpretatione. Sed tamen retinendum est libertatis studium; et si non continuo affert communis salutis perfectionem, tamen omnis futurae felicitatis semina in hoc studio inclusa esse apparet. Sed ubi homines multis calamitatibus edocti intellegunt perpetuis altercationibus et natis inde contentionibus plus damni quam commodi afferri, tum et unius civitatis cives et totae gentes aequa sibi constituunt iura, quae communi saluti quam maxime prospiciant; et gentes quidem defatigatae bellis foedera ineunt ad ius quoddam gentium sanciendum.

Sed quum in perpetuo motu sint res humanae, iterum ac saepius subnascuntur mutuae contentiones. Ita semper in eundem revolvuntur orbem fata hominum, sed eo tamen discrimine, ut temporum decursu in dies melius discant homines, quibus potissimum rebus, qua agendi ratione, quibus institutis tueri possint communem salutem et communia augere commoda. Ita in altiorem paulatim perfectionis gradum progredi videmus genus humanum.

Hactenus vidimus, rectae homini insitae rationi et libertati agendi plurimum virium ad res humanas constituendas tribui necesse esse. Sed iam videamus, num praeter illam naturae humanae indolem et nata ex ea studia alia sint in rebus humanis regendis moventia; num alia sit extra hominem posita vis, quae res humanas temperet atque regat.

Multi statuerunt aut caecam quandam esse fortunam et casum aut necessitatem quandam, quae in rebus humanis plurimum valeant, easque vehementer officere humano consilio et libertati. De qua re nos ita statuimus, in singulis levioribusque rebus sane multum momenti habere illam, quam vocant, fortunam et casum, quamquam haec ipsa eveniunt e quadam naturae necessitate aut rerum nexu certis legibus constituto, sed nullius esse haec momenti in universa societatis humanae regenda salute; hanc immo pendere e consilio et ratione humana. Insitam animo humano vim illam, quae cogitando verum invenit, agendo communem salutem et libertatem parat, omnes videmus fortunae lusus eludentem, summum ei arbitrium eripientem, omnes oppositas difficultates vincentem. Caeco

casu sine dubio non ferretur ad maiorem in dies perfectionem. quod tamen fieri negare quis audeat?

Sed iam aliam et verissimam quidem contemplemur sententiam, eam dico, qua statuitur quoddam supremum numen divinaque sapientia, quae intersit rebus humanis easque summo arbitrio regat. Verissimum hoc esse profiteatur necesse est, quisquis in rerum humanarum cursum paullo accuratius inquirit. Sed id non ita dico, ut rationi et libertati humanae hac re quicquam derogetur: hoc dico rationem humanam intimo vinculo cum divina ratione nexam esse et eam demum veram esse rationem et libertatem humanam, quae cum divinae mentis ratione congruat. Haec quae omnia in principio rerum constituit et omnia summa vi complectitur, etiam mentem humanam creavit et sui similem fecit; quae humanae rationis cum divina ratione congruentia omnem dubitationem tollit, quae de libertate humana ex utriusque comparatione nasci potest. Tum demum homo vere liber est, quum divinae suaeque ipsius rationi obtemperat, et opera humano consilio effecta ipsius divini numinis opera recte dicuntur. Supremum igitur numen in ipsa mente humana agit, atque ex hoc divino fonte omnia salubria in genus humanum redundarunt; hanc originem profitentur litterae, artes, religiones, civilia instituta, leges. Divini numinis beneficio omnia debemus bona eiusque infinitam sapientiam et summum erga homines amorem maxima veneratione et gratissimo animo prosequamur. Summum vero eius consilium est, ut genus humanum per certos gradus ad maiorem in dies verum intellegendi et bonum perficiendi facultatem evehatur.

Sed sane fatendum est, nihilominus hominem ipsum

eiusque rationem debilem esse naturaeque humanae admixtam esse imbecillitatem quandam, quae vehementer officiat eius saluti et perfectioni. Obnoxia est enim illa libidini, quae rationi adversatur. Sed id ipsum ita institutum est ipsius divinae providentiae sapientia, ut vera exsistere possit virtus, quae nisi e superatis difficultatibus cerni recteque aestimari non potest. Absoluta perfectio in uno est Deo; homini non nisi studium veri bonique relictum est, sed id ipsum unum per se salutare, atque validior sane est melior in homine ad virtutem tendens nisus quam imbecillitas eius; alioquin nulla in meliorem partem rerum humanarum mutatio, nullus, qui re vera est, ad maiorem perfectionem progressus. Peccant quidem homines omnes a divina voluntate recedentes, sed correctio huius imbecillitatis in promptu est et ipsa divina hominis natura eam efflagitat et parat.

Iam vero quum ita, ut diximus, hominis magnitudo et dignitas in persequendo vero rectoque posita atque contigua ei verae rationi refragans imbecillitas perpetuo inter se pugnent, dissona illa existit in generis humani historia discrepantia et confusio, ut nonnunquam terram, hominum sedem, hominum se ipsos perdentium sanguine madentem videamus, quum mutuae irae exardescunt, triste sane imbecillitatis testimonium. Contra aliis temporibus laetius nobis repraesentat historia generis humani spectaculum, quo homines concordes et ipsa mentium et studiorum concordia laetantes quasi in id unum studium conversos videmus, ut sibi inter se opitulentur, ut ad communem omnium salutem vires conferant, ut divinam originem suam mutuo amore et caritate et boni

verique appetentia testentur, laetum naturae sublimioris in homine testimonium.

Sed ut ad summam rei nobis propositae redeamus, docet historia, quid perfecerint homines libere agentes et communem libertatem et salutem expetentes ad res suas ita immutandas, ut ipsi in dies propius accedant ad perfectionem eam, quae in hominem cadit et cuius fines uniuscuiusque hominis contentione latius extenduntur.

Thematum nonnullorum descriptiones.

I. Quid Lycurgus fecerit ad leges suas confirmandas.

I. **Exordium.** Lycurgus Lacedaemonius severissimarum iustissimarumque legum auctor fuit, quibus quamdiu Sparta usa est, fortitudine praeter ceteras Graeciae civitates floruit. Quas leges ut confirmaret et stabiliret, omnem operam dedit.

II. **Tractatio.** Ac primum quidem

1) ipse omnibus praeclarissimum innocentiae morumque integritatis exemplum praebuit, si quidem nihil lege ulla in alios sanxit, cuius non ipse primus in se documenta daret. Iustin. III, 2;

2) populum maximeque iuventutem ad severam legum obedientiam assuefecit;

3) leges, quas tulerat, oraculi Delphici auctoritate sanciendas curavit;

4) ut aeternitatem legibus suis daret, iureiurando obstrinxit cives, nihil eos de legibus mutaturos, priusquam reverteretur; tum profectus est Cretam ibique perpetuum exsilium egit abicique in mare ossa sua moriens iussit, ne relatis Lacedaemonem solutos se Spartani religione iurisiurandi in dissolvendis legibus arbitrarentur. Iustin. III, 3. Plut. vit. Lycurgi.

III. **Conclusio.** Maxime igitur admiranda est huius viri sapientia, qui non satis habuerit optimas leges civi-

tati scripsisse, sed etiam omni ope atque opera nisus est, ut illae a civibus observarentur et retinerentur, atque pro iis patriam et vitae felicitatem offerre non dubitaverit.

2. Themistocles Atheniensibus suadet, ut in naves se suaque conferrent.

I. **Exordium.** Exorditur Themistocles a sanctitate oraculi, quod neglegere nefas sit; id cum responderit consulentibus, ut moenibus ligneis se munirent, parendum ei esse; stultissimam esse eorum sententiam, qui de veris moenibus exstruendis cogitent; immo luce clarius esse, in solis navibus salutem civitatis positam esse oraculo significari.

II. **Tractatio.** Quod etiam sine oraculi responso humana prudentia intellegi posse ut comprobet, his argumentis utitur:

1) In terra ne coniunctas quidem omnium Graecorum copias ingenti Persarum exercitui sustinendo pares fore, nedum Athenienses ei restistere possint; devictis autem quid eventurum sit, se praedicere nolle cf. Herod. VII, 139.

2) Classe autem maritimisque rebus eos satis multum valere ad barbarorum naves superandas, praesertim si totidem naves prioribus addiderint et ceterarum civitatum triremes adiunxerint; solas Phoenicum naves ad pugnandum idoneas esse, Ionum animos ad defectionem inclinare.

3) Si inferiores discesserint e proelio navali, alias terras patere, in qua novam patriam condere et servitutem effugere possint; civitatem enim esse non muros et aedificia, sed cives.

4) Sin victoriam ab hostibus reportaverint, fore, ut ceteri ad eos Graeci se applicent et totius Graeciae principatum transferant.

Conclusio. Si omnes Graeci vires in unum congregaverint, spem esse, barbarorum copias, clade maritima infirmatas, etiam in terra devictum iri.

3. Coriolanus plane alter Themistocles.

I. **Exordium.** Cicero in libro illo, qui inscribitur Brutus, (X, 43) Themistoclem cum Coriolano comparans utriusque viri fortunam similem fuisse ait. Quod quam verum sit, ut intellegatur, de rebus ab eis gestis et vitae exitu pauca disserenda sunt.

II. **Tractatio.**

1) Uterque civis egregius fuit; alter rebus bello Persarum praeclare gestis et moenibus Athenarum restitutis et auctis civium rebus navalibus de patria bene meritus est, alter Coriolis, oppido Volscorum, gloriose expugnatis.

2) Uterque populi ingrati pulsus iniuria se ad hostes contulit, ille ad Persas, hic ad Volscos.

3) Uterque conatum iracundiae suae morte sedavit; sed de exitu eorum scriptores inter se discrepant; alii mortem sibi utrumque conscivisse tradunt (Corn. Nep. Them. 10, 4. Plutarch. Them. 31. Cic. Lael. 12, 42); alii alterum Magnesiae morbo mortuum aiunt, alterum usque ad senectutem vixisse (Corn. Nep. Them. 10, 4. Thucyd. 1, 138).

III. **Conclusio.** Longe praeferendus videtur Themistocles et rerum gestarum magnitudine et sincero patriae

amore; „impie Coriolanus, qui auxilium petiit a Volscis, recte Themistocles, qui mori maluit“ (Att. 9, 10, 3).

4. De Cimone et Pericle.

I. **Exordium.** Quo tempore Atheniensium civitas devictis Persis summam gloriam consecuta erat plurimumque et copiis terrestribus et maritimis rebus valebat, duo viri, virtute et ingenio praestantes, de principatu inter se certabant, Cimon et Pericles.

II. **Tractatio.** Atque ille quidem, prioris aetatis voluntatibus studiisque imbutus ac metuens, ne a recentiore hominum genere, novarum rerum cupido, reipublicae fundamenta labefactarentur, optimatum dux erat; eius in republica consilia duas res natura inter se cognatas spectabant:

1) ut optimatum, qui veterum morum simplicitatem et legum sanctitatem defendebant, potentiam et auctoritatem tueretur;

2) ut amicitiam Lacedaemoniorum, qui eo semper animo erant, ut legum sanctitatem sustentarent et singulorum arbitrium opprimerent, quam maxime servaret.

Pericles autem, qui contemptis legibus popularem causam defendebat, id agebat,

1) ut populum nondum adultum ad suam tutelam adduceret;

2) ut spreta Spartiatarum amicitia Athenienses Graeciae totiusque maris dominos redderet.

Cimonis auctoritas nitebatur

1) bellis Persarum gloriose confectis,

2) urbe divitiis opibusque locupletata,

3) liberalitate, qua de ingentibus suis facultatibus pauperibus impertiebat;

Pericles una vi orationis usus est ad animos civium conciliandos eosque ad suas partes perduxit,

1) integram ac plenam libertatem pollicendo,

2) et plurima commoda, quae inde ad omnes redundatura essent, identidem proponendo.

III. **Conclusio.** Ita cum inter se dissiderent diversarum factionum principes, tamen non, ut apud Romanos, bellum civile exortum est; sed Cimone mortuo imperium nullo certamine ad Periclem transiit.

5. Rectene Cicero Epaminondam summum omnis Graeciae virum dixerit, quaeritur.

I. **Exordium.** Omnium Graeciae virorum, quorum immortalis apud posteros est memoria, haud dubie Epaminondas Thebanus non ultimum locum obtinet, quem constat illa aetate, qua Graecorum gentes de principatu inter se certabant, patriam suam rebus domi bellique praeclare gestis ad summum potentiae fastigium perduxisse. Quem Cicero non dubitat alio loco principem Graeciae, alio summum virum unum omnis Graeciae dicere.

II. **Tractatio.** Et recte quidem; nam tota eius vita maxime laudanda est, sive virtutes sive res ab eo gestas spectamus.

1) Ex iis, quae praeclare fecit, inprimis praedicandum videtur,

a) quod pauperibus parentibus natus in excolendis et corporis viribus et ingenii facultatibus

summam operam posuit usque ad quadragesimum aetatis annum;

b) quod omni eloquentiae vi Lacedaemoniorum arrogantiae et insolentiae obstitit;

c) quod Messenios servitute, qua Lacedaemonii eos oppressos tenebant, gravissima liberavit;

d) quod cum Pelopida effecit, ut populus Thebanorum summum totius Graeciae principatum adipisceretur.

2) Virtutum, quibus admirabilis exstitit, maxime laudandae sunt:

a) modestia et discendi cupiditas;

b) veritatis amor tantus, ut ne ioco quidem mentiretur;

c) integritas et innocentia, quam in summa paupertate servavit;

d) abstinentia, quae frustra tentata est ab Artaxerxe rege;

e) beneficentia erga pauperes;

f) temperantia et continentia.

III. **Conclusio.** Quare quum omnium, quos Graecia tulit, illustrium virorum solus paene gloriam vitiis non obscuraverit, assentiendum nobis videtur Ciceronis iudicio.

6. Comparantur inter se Epaminondas et Gustavus Adolphus.

I. **Exordium.** Epaminondas Thebanus et Gustavus Adolphus, rex Suecorum, dissimiles sunt ingenio; nam ille animo fuit tranquillo et per totam vitam aequabili, hic vehementi et iracundo. Dissimili etiam genere fuerunt; nam alter e regia stirpe oriundus fuit, alter ex cive

natus ad summos honores ascendit. Neque idem bellis uterque sequebatur; alter enim pro libertate et magnitudine patriae dimicavit, alter pro religionibus bella gessit.

II. **Tractatio.** Sed similes sunt

1) virtutibus; nam uterque insignis fuit:

a) mentis acie,

b) dicendi arte,

c) humanitate et clementia,

d) morum integritate,

e) divini humanique iuris observantia,

f) splendoris luxuriaeque despicientia,

g) litterarum artiumque amore,

h) rei militaris scientia, prudentia, fortitudine bellica; uterque rem militarem auxit nova aciem instruendi arte inventa;

2) rebus gestis et fortuna:

a) uterque e populo fuit nobili illo quidem, sed minus illustri; Thebani enim diu a Spartiatis et Atheniensibus oppressi tenebantur, Sueci a ceteris Europae nationibus non admodum magni aestimabantur;

b) uterque bello egregie rem gessit contra potentissimum illius aetatis populum et ex omnibus proeliis superior discessit; utrique etiam simile, quominus in vincendo longius progrederetur, impedimentum obstitit, alteri moenia Spartae, alteri castra Wallensteinii ad Nurimbergam munita; uterque paullo post ad maiorem gloriam ascendit, alter victoria apud Mantineam, alter apud Luetzen reportata; atque in his extremis pugnis uterque cecidit;

3) rerum gestarum eventis:

a) uterque populum suum ad summam potentiam et auctoritatem evexit civesque belli peritissimos fecit;

b) post eorum interitum civitates, quibus praecerant, non diu partam potentiam obtinuerunt, sed mox de auctoritatis gradu, in quem ascenderant, delapsae sunt.

III. **Conclusio.** Epaminondas et Pelopidas luculenter exemplis suis illud confirmaverunt, in uno saepe viro totius civitatis salutem consistere unumque hominem nonnunquam pluris esse, quam civitatem.

7. Quae in Socrate maxime laudanda esse videantur.

I. **Exordium.** Ut viri alicuius magnitudo recte cognoscatur, aetatis, qua fuit, hominumque, quibuscum versatus est, diligenter ratio habenda est. Socratis autem aetate civitas Atheniensium maximis malis laborare coepit (perversa sapientia sophistarum opera disseminata, impietate erga deos, ulciscendi cupiditate, avaritia, luxuria). Eo pluris aestimandus est Socrates, qui singularibus virtutibus enituit. Maxime autem in eo laudanda sunt:

II. **Tractatio.**

1) Verae sapientiae studium; Cic. Tusc. V, 4, 10: Socrates primus philosophiam devocavit e coelo et in urbibus collocavit et in domus etiam introduxit et coegit de vita et moribus rebusque bonis et malis quaerere;

2) praeclara aequabilitas in omni vita et idem semper vultus eademque frons; Cic. de off. I, 26, 90;

3) animi fortitudo et constantia, qua, quod sentie-

bat, publice profitebatur neque aut irrisione atque contemptu sophistarum aut minis et accusatione adversariorum deterritus est, ne a proposito suo discederet;

4) pietas erga deos, cum modestia rara coniuncta;

5) assiduitas et labor, quo omnes, qui eum audiebant, ut veritatem amarent atque mores ad virtutem conformarent, adhortabatur.

III. **Conclusio.** His tantisque virtutibus cum floruerit, certe dignus fuit, qui a deo Delphico sapientissimus hominum iudicaretur atque summam omnium aetatum admirationem moveret.

8. Philippi Macedonis historia quid doceat.

I. **Exordium.** Vitas magnorum principum et regum accuratius contemplanti multa occurrunt ad res humanas cognoscendas vitamque recte instituendam utilia, sive ingenia eorum animique virtutes, sive res rationesque, in quibus versabantur, sive fortunam aut ipsorum consideramus aut eorum, qui eis succubuerunt. In his viris maxime memorabilis est Philippus Macedo, e cuius historia multa possunt disci.

II. **Tractatio.** Ea enim docet,

1) quantae utilitati sit iuveni bonae indolis consuetudo viri magni, eruditi, optimis moribus insignis;

2) quid animi fortitudo, constantia, prudentia, eloquentia, calliditas vel in rebus minus prosperis efficere queant;

3) quam raro rerum gestarum laus coniuncta sit cum veritate, fide, iustitia; sane dubium est, num Phi-

lippus tantam nominis sui famam consecuturus fuerit, si probitatis ac veritatis fuisset diligens;

4) quam facile populi, exstincto sive ipsorum sive maiorum culpa patriae amore, praedae sint astutiae et insidiis finitimarum gentium.

III. **Conclusio.** Quod Philippus, quamvis praeclaras res gesserit, tamen in magnorum virorum numero non refertur, documento est ad veram principis magnitudinem praeter prudentiam reique militaris scientiam etiam alias virtutes requiri.

9. Philippus Macedo num in magnorum virorum numero habendus sit.

I. **Exordium.** Philippum rebus gestis et gloria superatum esse a filio (Cic. Off. I, 26. 90) omnes consentiunt; sed multis tamen ille virtutibus insignis fuit, ob quas non indignus est, qui in illustrium regum numero habeatur.

II. **Tractatio.** Singulari sane virtute, calliditate, sui fiducia opus erat ad ea, quae suscepit, efficienda; nam

1) aemulos regni (Pausaniam, Argaeum) removit, factionum domesticarum certamina oppressit, imperium a barbarorum incursionibus munivit;

2) animos militum suorum confirmavit, exercitum bene instructum omnibusque rebus ornatum paravit, novam aciem instruendi artem invenit;

3) potentiam Macedoniae ita auxit, ut, quum antea ceteris civitatibus auctoritate inferior esset, tum praevaleret et primas quasi partes in Graecia ageret.

Sed si de animi virtutibus, in quibus vera hominis

magnitudo cernitur, iudicandum est, indignus videtur esse, qui viris vere magnis adnumeretur; nam ei

1) defuit veritas et fides,

2) defuit iustitia. — Quod ut appareat, considerandum est, quibus artibus Amphipolim, Athenas, Potidaeam, Pydnam, Olynthum, Phocenses aggressus sit. Maiori ex parte mercator Graeciae quam victor fuit; cf. Val. Max. 7, 2. Ext. 10. Iuv. 12, 47. Diod. Sic. 16, 54 et alii.

III. **Conclusio.** Verumtamen Philippus non omni virtutis laude caret. Cicero quidem (Off. I, 26. 90) eum facilitate et humanitate iudicat superiorem fuisse filio.

10. Cur Philippus, rex Macedonum, quotidie se ex somno excitari iusserit his verbis: „Surge, rex, et hominem te esse memento?“

I. **Exordium.** Philippus, etsi rebus gestis et gloria superatus est a filio, tamen quibusdam virtutibus superior fuit (Cic. de off. I. § 90). In his etiam prudentiam et moderationem fuisse, quum ex aliis rebus, tum inde apparet, quod devictis ad Chaeroneam Atheniensibus quotidie se ex somno sqq.

II. **Tractatio.** Quod ut faceret, his potissimum causis videtur adductus esse:

Cum in omnibus fere rebus, quas gessit, secunda fortuna usus esset,

a) in aemulis regni (Pausania, Argaeo) removendis,

b) in domandis barbaris et in urbibus, quae in litore Thraciae sitae erant, vel vi vel dolo expugnandis,

c) in iis, quae molitus erat contra Graecos, ad quae perficienda et intestinis civitatum discordiis et venali multorum in eis civium animo multum adiutus erat,

d) maximeque victoria apud Chaeroneam ab Atheniensibus reportata,

rex ille metuebat, ne hac tanta felicitate elatus

a) ad superbiam insolentiamque, quae iam multis causa exitii fuit, induceretur,

b) ne moderationis et clementiae, qua nihil aptius esse intellexerat ad animos Atheniensium sibi conciliandos, obliviscereturr.

III. **Conclusio.** Quod Philippus quotidie se admoneri voluit, idem omnes, qui secunda fortuna utuntur, secum reputent; nam „res secundas immoderate ferre levitatis est“ et „in rebus prosperis et ad voluntatem fluentibus superbia, fastidium arrogantiaque magno opere fugienda“ Cic. de off. I, 26.

II. Demonstratur, quibus potissimum virtutibus Alexander Magnus ornatus fuerit et quibus vitiis gloriae suae maculas adsperserit.

I. **Exordium.** Nemo vir magnus sine aliquo afflatu divino unquam fuit (Cic. N. D. 2, 66. 167); quod quum aliorum, tum Alexandri exemplo confirmatur. Sed idem documento est, nullius viri magnitudinem tantam esse, quin turpibus quibusdam vitiis maculetur. Quod quo magis appareat, et virtutes eius et vitia breviter percenseamus.

II. **Tractatio.**

Testantur veteres (Curtius X, 18. cf. Arrian VII, 28—30. Livius IX, 17—19) in Alexandro fuisse

1) vim incredibilem animi,

2) laboris patientiam et fortitudinem non inter reges modo excellentem, sed inter illos quoque, quorum haec sola virtus fuit,

3) mortis, cuius metus ceteros exanimat, perpetuam contemptionem,

4) liberalitatem saepe maiora tribuentem, quam a diis petuntur (Iustin. 11, 5. Plut. Alex. 15),

5) magnam in omnes fere amicos benignitatem et erga milites benevolentiam,

6) clementiam in devictos (multa regna aut reddita aut dono data),

7) pietatem erga parentes (Olympiada immortalitati consecrare decrevit, Philippum ultus est),

8) consilium par magnitudini animi et, quantam vix poterat aetas eius capere, sollertiam,

9) humanitatem et doctrinam, qua inprimis ab Aristotele imbutus est.

Sed huic tanto viro non defuerunt vitia, fortunae magis et aetatis, quam naturae; fuit enim

1) immodicus in ira Iust. XII, 5. 1. Plut. c. 49. 5. 1.

2) gloriae laudisque iusto cupidior. Plut. Alex. 5. Cic. pro Arch. 10, 24.

12. Unus homo nobis cunctando restituit rem.

I. **Exordium.** Summa laude et admiratione digni sunt ii, qui victoriis ab hostibus reportatis sibi gloriam, reipublicae utilitatem pepererunt; sed magnos patriaeque

non minus utiles se praebuerunt, qui spreta gloria et praedicatione aequalium ea, quae patriae salubria fore persuasum habebant, vel invitis civibus perfecerunt. In his praecipue memorandus est Fabius Maximus, de quo Ennius: Unus homo sqq.

II. **Tractatio.**

Respublica Romana priorum ducum temeritate in summum discrimen vocata erat; prudentissime igitur Fabius fecit, quod cavit, ne summa rerum denuo universo periculo committeretur; cunctando enim effecit.

1) ut Hannibalem iuveniliter exsultantem patientia sua molliret (Cic. Cat. m. c. 4),

2) ut milites suos prioribus cladibus territos assuefaceret, parvis momentis levium certaminum vincere (Liv. XXII. c. 12 sqq.).

Quibus rebus, etsi splendidam ex hostibus victoriam non retulit, hoc tamen consecutus est, ut vires civitatis corroborarentur et, qua ratione hostes vinci possent, sequentibus imperatoribus ostenderet.

III. **Conclusio.** Etsi cunctatio illa ei et apud suos in castris et Romae infamis fuit, postea tamen „spreta victoria cumulatior ei rediit“; „Ergo postque magisque viri nunc gloria claret“. (Ennius).

13. Bellum Iugurthinum quibus de causis magnum vocatur a Sallustio?

I. **Exordium.** Bellum Iugurthinum etsi magnitudine et gravitate multis aliis et antea et postea gestis superari videtur, tamen non sine causa a Sallustio (c. 5) magnum vocatur.

II. **Tractatio.** Nam

1) ex eo, quam corrupti iam tum fuerint Romanorum mores, satis cognosci potest;

2) nonnullis civibus illustribus hoc bellum rei bene gerendae virtutisque comprobandae occasionem dedit (Metello, Rutilio);

3) Mario et Sullae militiae quasi disciplina fuit, qui postquam contra Iugurtham aliquamdiu uno animo et consilio pugnaverunt, mox partium studiis disiuncti et sibi adversantes communi patriae perniciem paraverunt;

4) Romanis, qui Carthagine deleta oram tantum maritimam tenebant, interiorem Africae partem aperuit, quo factum est, ut coloniarum numerus, agricultura, mercatura valde augeretur.

III. **Conclusio.** Nobis bellum Iugurthinum a Sallustio descriptum multum habet delectationis propter similitudinem bellorum nostra aetate iisdem in regionibus gestorum.

14. M. Tullio Ciceroni nulla in parte civis optimi voluntatem defuisse.

I. **Exordium.** Multi mores Ciceronis vituperaverunt. Imprimis sunt, qui eam animi firmitatem et constantiam in Cicerone desiderent, qua qui careat, in publicis rebus gerendis magnus esse non possit. Sed utcunque haec res se habet, illud negari non potest, optima eum in republica consilia secutum esse recteque Seneca dixit: M. T. Ciceroni nulla in parte sqq.

II. **Argumentatio.** Documento sunt

1) gestus egregie consulatus maximeque patefacta et oppressa coniuratio Catilinaria.

2) provinciae integerrime administratae (Sicilia, Cilicia).

3) praetura summa cum laude gesta.

4) repudiatus vigintiviratus i. e. magistratus agris dividendis, quem Caesar regie iniusteque instituerat,

5) civilibus bellis, quae in aetatem eius gravissima inciderunt, neque spe neque metu declinatus animus, quominus optimis se partibus, i. e. reipublicae, iungeret.

III. **Conclusio.** Nihilominus illud nemo non facile concedet, Ciceronem magis eloquentiae laude nobilitatum esse, quam iis virtutibus, ob quas magni in republica viri laudari solent.

15. Cur Cicero detecta coniuratione Catilinae non statim graviter in eum statuerit.

I. **Exordium.** Cicero cum senatus consilio et auctoritate adiutus, Catilinae audaciam gravissimis poenis coercere et senatus consulto facto, quo ei vitae necisque potestas commissa erat, illum in vincula conicere et ad mortem ducere posset, tamen ei pepercit et in summo reipublicae periculo tam clementem se praebuit, ut paene ignaviae et nequitiae crimen subiret. — Sed ut id, quod iam pridem factum esse oportebat, nondum faceret, his causis videtur adductus esse.

II. **Tractatio.**

1) Si statim severitatem in Catilina adhibuisset, timendum ei erat odium eorum, quos sive aperte sive

clam eius consilia adiuvare sciebat; itaque prius severe in eum statuere noluit, quam nemo in urbe esset, qui non iure id fieri concederet eumque defendere auderet.

2) Magis e republica esse videbatur, Catilinae persuadere, ut sponte ex urbe cederet et in castra Manliana se conferret; quo facto non solum ipsum, sed simul etiam socios, qui eum secuturi essent, armis se oppressurum totamque coniurationem una dimicatione sublaturum esse sperabat.

III. **Conclusio.** Consilio igitur quam severitate rempublicam servare maluit; quare non sine causa postea gloriatus est, quod sine exercitu sola vigilantia effecisset, ut „tam celeriter de manibus audacissimorum civium delapsa arma caderent", illudque de se cecinit:

„Cedant arma togae, concedat laurea laudi (de off. I, 77).

16. Occisus Caesar aliis pessimum, aliis pulcherrimum facinus videbatur.

Tac. Ann. I. 8.

I. **Exordium.** Constat Iul. Caesarem, cum devictis apud Mundam Pompeii filiis Romam rediisset, dum et reipublicae constituendae et novo bello parandae operam dabat, subito Idibus Martiis in curia Pompeii a coniuratis oppressum et necatum esse. Quod facinus aliis sqq.

II. **Tractatio.**

Pulcherrimum esse putabant ii,

1) qui Caesarem propter exstinctam libertatem nulla poena non dignum existimabant;

2) qui libertatem omni modo restituendam esse censebant.

Sed revera pessimum erat his de causis:

1) Iniustum per se est, caede ab hoste se liberare;

2) impium facinus fuit, inprimis Bruto, in quem tot tantaque beneficia Caesar contulisset;

3) inutile etiam fuit scelus atrocissimum; nam:

a) regem quidem sustulerant interfectores, non regnum;

b) libertas tamen restituta non est; Antonius enim aliique supererant, libertati non minus periculosi, quam Caesar;

c) Fatum iam ferebat, ut uni imperium Romanum committeretur; amissis enim pristinis moribus fieri non poterat, ut civitas in priorem formam revocaretur.

III. **Conclusio.** Ea, quae caedem Caesaris secuta sunt, luculentissime demonstrant, quam perniciosum illud facinus fuerit.

17. Augusti vita apud prudentes varie extollebatur arguebaturve.

I. **Exordium.** De Augusto mortuo multi variique apud Romanos sermones fuerunt. Vulgus vana mirabatur (Tac. ann. I. c. 9); prudentium non idem et consentiens de eo iudicium fuit; alii summopere eum laudabant, alii vituperabant.

II. **Tractatio.** A. Laudi ei vertebatur,

1) quod bellorum civilium furorem consopivisset;

2) quod orbem terrarum victoriis pacavisset finesque imperii legionibus classibusque prudenter munivisset;

3) quod saluberrimis legibus latis mores emendasset;

4) quod eius auspiciis cultus agris, securitas hominibus, certa cuique rerum suarum possessio rediisset;

5) quod omnino modeste imperio usus esset, pauca admodum vi tractasset.

B. Arguebatur ab aliis,

1) quod arma in Antonium accepta contra rempublicam vertisset;

2) quod specie amicitiae et dolo adversarios deceptos perdidisset (Pompeium, Lepidum, Antonium);

3) pacem quidem deinde secutam esse; sed non incruentam (Lollianae Varianaeque clades, infesti Romae Varrones, Egnatii, Iulii):

4) domesticas eius res et privatam vitam non omni culpa vacuam fuisse;

5) nihil deorum honoribus relictum, cum se templis et effigie numinum per flamines et sacerdotes coli voluisset.

III. **Conclusio.** Sed, si omnia ratione animoque lustramus, plura videntur in eo laudabilia fuisse, quam vituperanda, meritoque Augustus Horatio bonisque omnibus carus laudatusque fuit; certe longe praeferendus est proximis imperatoribus.

18. Quibus rebus apud Phoenices navigatio et mercatura adiutae sint?

I. **Exordium.** Ut singulorum hominum, ita totarum civitatum nationumque ingenia et studia maxime sunt diversa; aliae bellicis rebus operam dant, aliae artes litterasque praecipue colunt, aliae ad divinas magis quam ad humanas res investigandas curiosae sunt, aliae denique

in navigationem et mercaturam incumbunt; in his praeter ceteros memorabiles sunt Phoenices.

II. **Tractatio.** Apud eos ad navigationem mercaturamque augendam plurimum contulerunt:

1) ipsa terra in litore maris porrecta;

2) agrorum vel angustiae vel sterilitas, ita ut ad magnam hominum multitudinem alendam non sufficerent;

3) finitimarum civitatum potentia, qua Phoenices impediebantur, quominus in interiora regionis fines proferrent;

4) vita antiquitus piscatorio artificio dedita, qua ad scientiam rerum nauticarum conformabantur;

5) ipsorum Phoenicum industria atque sollertia; nam multas res ad exportandum idoneas vel invenerunt vel perfecerunt.

III. **Conclusio.** Sed in ipsa opum divitiarumque, quas undique insatiabili quadam cupiditate congerebant, multitudine causa posita erat interitus. Nam cum parum intenti essent ad rempublicam firmiter fundandam et muniendam, mox a finitimis regibus libertate privati sunt.

19. Comparetur bellum Peloponnesiacum cum primo bello Punico.

I. **Exordium.** Constat similia iuxta se posita magis elucescere et comparandis contendendisque rebus earum vel similitudinem vel discrepantiam facilius perspici. Inprimis eis, qui in historiarum studio versantur, perutile est, res gravissimas inter se comparare. Bellorum quidem

solent componi Peloponnesciacum et primum Punicum: et magnam sane habent similitudinem.

II. **Tractatio.**

1) Similes sunt bellantium civitatum vires et opes; nam

a) Spartiatae et Romani suis ipsorum viribus et fortitudine civium confisi,

b) Carthaginienses et Athenienses multorum sociorum auxiliis, magnis classibus, aerariis auro argentoque impletis nisi bella gerebant;

2) Similes belli gerendi rationes; nam utroque bello primo terrestribus, postea maritimis copiis certatum est atque altero quidem ad oras Siciliae et Asiae minoris, altero circa litus Siciliae et Africae.

3) Similes bellorum exitus;

a) ex utroque bello inferiores discesserunt eae civitates, quae navibus maritimisque rebus nitebantur;

b) et Athenienses et Carthaginienses imperio maritimo et auctoritate, qua apud socios usi erant, privati sunt; uterque populus attritis civitatis opibus et exhausto aerario vires amissas reparare non potuit;

c) qui vicerant, populi non tam finibus imperii prolatis, quam adversariorum potentia fracta et auctoritate adempta potentiores e bello discesserunt.

III. **Conclusio.** Sed quamvis similia inter se bella illa fuerint, tamen maioris momenti est bellum Punicum; nam et validiores opibus inter se civitates gentesque arma contulerunt et gravior utrique populo fuit eventus.

20. Quam vim habuerint bella Punica ad Romanorum opes et mores.

I. **Exordium.** Omnium bellorum, quae Romani cum externis hostibus gesserunt, nulla graviora fuerunt et ad mutandum rerum Romanarum statum plus contulerunt, quam bella Punica; nam inde nova quasi aetas civitatis incepit.

II. **Tractatio.**

1) Statim ab initio horum bellorum Romani classe maritimisque rebus plurimum valere coeperunt;

2) imperii fines bellis prospere confectis longe lateque prolati et cives ingentibus divitiis locupletati sunt;

3) inde ab illis temporibus artium doctrinaeque studium excitatum est multique poetae et rerum scriptores exstiterunt;

4) Roma tum totius orbis terrarum domina fieri omniumque populorum res rationesque suo arbitrio regere coepit; sed

5) etiam luxuria ex oriente invecta mores corrupti sunt, quod malum quum latius in dies serperet, respublica ad interitum vergere coepit.

III. **Conclusio.** Carthago deleta utrum Romanis plus profuerit an nocuerit, etiam apud veteres fuerunt, qui dubitarent (Metellus).

21. Virgilii illud: „Tu ne cede malis, sed contra audentior ito“ toti populo Romano propositum videtur fuisse.

I. **Exordium.** Admirandam sane animi fortitudinem et constantiam Romani in omnibus periculis et calamitatibus comprobaverunt iureque dici potest clades, quas

haud paucas acceperunt, tantum abfuisse, ut damno eis essent, ut his ipsis ad maiorem virium contentionem et praeclariora facinora excitati esse videantur.

II. **Tractatio.** Documenta sunt

1) bellum cum Persena gestum (Horatius Cocles, Mucius Scaevola);

2) clades a Gallis ad Alliam accepta;

3) gravissima certamina cum Samnitibus gesta;

4) plurimae classes, duces, exercitus primo bello Punico amissi;

5) pugnae ad Trebiam, Trasimenum, Cannas altero bello Punico factae;

6) bellum Iugurthinum;

7) Cimbrorum Teutonorumque in Galliam et Italiam incursiones;

8) bella per quadraginta fere annos cum Mithridate gesta, donec felicitate Sullae, virtute Luculli, magnitudine Pompeii consumtus est.

III. **Conclusio.** Ita Romani, quamdiu pristina morum severitas vigebat, „invicti et nullis casibus superabiles erant“ (Tac. Ann. I. c. 25); cf. Hor. carm. IV, 4, 57. Sed postea corruptis moribus hostibus non iam resistere poterant, sed praecipites ad perniciem ferebantur.

22. Quam vim habuerint ludi gladiatorii ad formandos Romanorum mores.

I. **Exordium.** Ludorum origo repetenda videtur ab Etruscis, quibus mos erat, ut captivos in sepulcris suorum, qui in pugna cediderant, interficerent; cf. Virg. Aen. X. 518. Val. Max. II. 4. 7. Liv. Epit. XVI. Postea ad

oblectandos populi animos a magistratibus edebantur atque ita increbrescebant, ut legibus coercendi viderentur (Augustus).

II. **Tractatio.**

1) Non omni eos utilitate caruisse ipsi veteres testantur; cf. Cic. Tusc. quaest. II. 17. Plin. Panegyr. c. 41; nam

a) quasi palaestra erant constantiae et patientiae; quare Seneca, ubi de his virtutibus disserit, imagines et exempla sua a gladiatorum certaminibus repetit;

b) ad augendam bellicam fortitudinem Romanorum multum contulerunt.

2) Sed multo plus nocuerunt,

a) quod leniores animi mŏtus, misericordiam, clementiam, humanitatem denique ex animis spectantium tollebant;

b) quod crebro caedium aspectu mores civium efferabantur et crudelitati saevitiaeque assuefiebant id quod bella illa civilia inaudita atrocitate gesta declarant.

III. **Conclusio.** Christianae demum religionis praeceptis ludi illi aboliti sunt, legibus Constantini et, postquam sub sequentibus imperatoribus denuo revocati sunt Honorii.

23. Quaeritur, quibus causis factum sit, ut mores Romanorum, postquam per quinque plus saecula fuerunt insignes, prorsus corrumperentur.

I. **Exordium.** Maxime laudandi sunt simplices integrique mores veterum Romanorum, qui asperi quidem erant et artium litterarumque imperiti, sed fortes, temperantes, moderati, pii, strenui laborumque patientes. Causae, quibus factum est, ut postea ab his maiorum virtutibus desciscerent, repetendae sunt:

II. **Argumentatio.**

1) ex maximo potentiae divitiarumque incremento; opulentissimis orbis terrarum terris expugnatis ingentes opes undique in urbem confluebant; urbes diripiebantur, provinciae expilabantur, immodica tributa exigebantur. — Ex rebus prosperis nascitur superbia, e divitiis luxuria;

2) e victarum gentium consuetudine et commercio, inprimis Graecorum et Asiaticorum, qui elegantia quidem morum et doctrina ipsos superabant, sed mollitie et luxuria diffluebant;

3) e sublato Carthaginis deletae metu, quae potentissima imperii Romani aemula fuerat;

4) e neglecta religione, quae a summis in republica viris magis in dies negligi coepta erat;

5) e pessimis singulorum exemplis, qui rebus gloriose gestis ad superbiam adducti et devictarum gentium opibus locupletati turpissimis vitiis indulgebant;

6) e licentia et immanitate magnae civium partis diuturnis bellis aucta.

III. **Conclusio.** Tam corrupta civitate fieri non po-

tuit, quin Romani mox experirentur, quam verum esset illud Sallustii: Ubi pro labore desidia, pro continentia et aequitate lubido atque superbia invasere, fortuna simul cum moribus immutatur (Sall. coni. Cat. c. 2).

24. Quibus causis Ulyxes Achilli persuadere studuerit, ut pugnae rursus interesset.

I. **Exordium.** Enarretur, quo loco res Graecorum fuerint, ut Agamemno in animum induceret legatos ad Achillem mittere, qui eum reconciliarent. E quibus Ulyxes, dicendi ille peritissimus, primus eum allocutus his fere rationibus usus est ad animum irati viri movendum.

II. **Tractatio.**

1) Atque primum quidem, ut misericordiam eius excitet, in quantas angustias Graeci eo absente adducti sint, exponit;

2) deinde, quae pater ipsi ad bellum proficiscenti mandaverit et praeceperit, admonet;

3) tum magnam donorum copiam enumerat, quae Agamemno ad expiandam, qua eum affecerit, iniuriam se largiturum promiserit;

4) denique tunc ipsi Hectoris devincendi occasionem oblatam esse ei ostendit, qua spe nihil efficacius esse poterat ad animum eius movendum, qui longiori vitae gloriam anteposuerat.

III. **Conclusio.** Nihilominus Achilles in sententia sua perseveravit; sed huius pertinaciae mox graves poenas dedit.

25. Quid Socrates apud Xenophontem de amicitia et de amicis eligendis praescripserit.

I. **Exordium.** Magnam et utilitatem et iucunditatem in amicitia positam esse omnes fere consentiunt; sed plerique omnia alia magis curant, quam quomodo hoc bonum parent aut conservent. Qua de re quid Socrates praeceperit, iuvat paucis exponere.

II. **Tractatio.** Is apud Xenophontem in libro illo, qui inscribitur Memorabilia (I. c. V. VI), monet, ut

1) in eligendis amicis

a) videamus, num is, quocum consuetudine coniuncti esse velimus, temperans (ἐγκρατὴς) sit et suae utilitatis non nimis studiosus et pacis concordiaeque amans et beneficiorum memor (c. VI. § 1—5);

b) quod ut cognoscamus, inprimis, qualem adversus alios amicos se praebuerit, spectandum nobis esse (c. VI. §§ 6. 7);

2) in comparandis amicis

a) primum deos consulendos esse, num iudicium consiliumque nostrum probent (c. VI. § 8);

b) tum laude virtutum eius et studio et re factisque amorem in eum nostrum comprobandum; nam amicitiam niti et virtute cognita et beneficiis datis acceptisque (c. VI. § 9—14).

3) In servandis amicitiis nihil utilius esse,

a) quam se examinare, quanti amicus nos aestimet et

b) operam dare, ut ipsi ei quam plurimi simus, ne amicus eo adducatur, ut nos prodat (c. V. 4. 5).

III. **Conclusio.** Quodsi in amicitia tanta adhibenda est cautio, apparet difficillimum esse rerum amicum parare aut conservare. Sed omnia praeclara rara.

26. Nihil agendo homines male agere discunt.

(Chria.)

I. **Exordium.** In magno proverbiorum numero, quibus omnes fere gentes abundant, nullum magis in omnium ore est, quam illud, quo nihil agendo discere dicuntur homines male agere.

II. **Expositio.** Qui otio et inertiae se dant, facile aberrant a recta vivendi via atque ad turpissimas libidines paullatim descendunt; quarum illecebris qui semel irretiti sunt, praecipites ad perniciem feruntur.

III. **Ratiocinatio.**

1) Ea est natura hominum, ut semper aliquid facere velint; quare nisi in honestis utilibusque rebus tempus et operam collocant, fieri non potest, quin ad res inutiles turpesque delabantur, ut tempus fallant; unde malae cogitationes pravaeque consuetudines nascantur necesse est.

2) Homines inertes et desidiosi facile ad egestatem omniumque rerum inopiam rediguntur, cui ut medeantur, ad res iniustissimas impelluntur et malis artibus, fraude furtoque utuntur.

3) Vires et corporis et animi nisi exercentur, decrescunt; tollitur ergo desidia facultas bene faciendi.

IV. **Contrarium.** Qui ad res utiles et honestas incumbunt, eorum animi nec cupiditatibus ac libidinibus depravantur et laudabilium rerum studiis ad optima quae-

que et praeclarissima eriguntur; quare non inficiuntur vitiorum contagione et ex bene factorum conscientia summum praemium capiunt.

V. **Simile.** Vires et facultates, si neglectae iaceant, corrumpi, ex equorum similitudine apparet, qui nisi ad humanos usus perpetuo adhibentur, ipsa desidia ignavi fiunt et laboris impatientes facileque exterriti equitem deiciunt et currum invertunt.

VI. **Exempla.** Hannibalis exercitus Capuae desidia luxuriaque effeminatus; Sybaritarum respublica otiosa et libidinosa vita civium ad interitum adducta; Alexander Magnus Babylone Asiaticae inertiae et libidini assuetus turpissimis voluptatibus indulgens vitiisque ac sceleribus multis pollutus, quibus antea carebat.

VII. **Testimonia.** Germanorum proverbium: „Desidia est initium omnium vitiorum“; Ovidius: „Otia si tollas, periere cupidinis arcus“. S. Augustinus: „Otio periit Roma deleta Carthagine.

VIII. **Conclusio.** Haec, quae attuli, satis profecto nos admonent, ut magnum illud ac pestiferum vitium desidiae detestemur et fugiamus. Quare si quis natura ad pigritiam propensum se esse sentiat, quae mala inde nascantur, semper secum reputet atque viribus suis ad res utiles et honestas uti consuescat; nam consuetudo fit altera natura.

27. Festina lente!

(Chria.)

I. **Exordium.** Profecto prudens is fuisse putandus est rerumque humanarum peritus, qui primus illud ex-

cogitavit, quod in proverbii consuetudinem venit: Festina lente!

II. **Expositio.** Pugnare quidem inter se videntur festinatio et cunctatio (ὀξύμωρον); sed tamen acute illud dictum esse apparet; nam nihil aliud hoc proverbio praecipitur, nisi ut caveamus temeritatem; semper deliberate, non praepropere agendum nobis esse neque quicquam suscipiendum, nisi antea bene consuluerimus; quod si fecerimus et in ipsis rebus gerendis consilio et prudentia adhibeamus, omnia satis celeriter et prospere cessura.

III. **Ratiocinatio.**

1) Qui rem aliquam aggressurus est, eum inprimis examinare oportet, „quid valeant humeri, quid ferre recusent“ (Hor. ars. poet. v. 39), ut sciat, num id, quod vult, efficere possit.

2) Qui praepropere agit, saepe vires ultra modum intendit, quoniam quam celerrime ad exoptatum finem pervenire cupit: quo fit, ut ante tempus defatigetur.

3) Qui inconsulto nec temporis nec loci ratione habita rem aliquam suscipit, saepe, cum intellegat se erravisse, eodem redire cogitur, unde profectus est; ergo multum temporis et operae frustra consumpsit.

IV. **Contrarium.** Homo cautus et prudens, quoniam nihil unquam inchoat, quod se perficere posse diffidat, viribus suis moderatur, ut sufficiant ad id, quod sibi proposuit, perficiendum, cumque omnia, quae consiliis suis aut conducant aut noceant, satis exploraverit, nunquam in periculo versatur, ne eorum, quae fecerit, eum poeniteat; quare licet cunctetur, tamen festinat multoque celerius eo, quod vult, pervenit, quam is, qui ob temeritatem saepe in via subsistere atque regredi cogitur.

V. **Simile.** Herbae floresque, qui maturius emergunt supra terram, nocturno saepe frigore oppressi marcescunt; qui vero suo tempore enascuntur, tardius quidem, sed laetius efflorescunt et corroborantur.

VI. **Exempla.** Minutius Felix temeritatis graves poenas dedit, Fabius, quamvis cunctaretur, tamen, cum celeritate opus erat, se etiam festinare posse ostendit. Carolus XII, rex Suecorum, nisi expeditionem illam in Russiam susceptam inconsiderate properasset, exercitum suum non perdidisset nec ipse in tantas angustias incidisset. Quid aliud Pharaoni, exeuntes ex Aegypto Israelitas persequenti, omnibusque eius copiis interitum paravit, nisi caeca ulciscendi cupiditas et nimia festinatio? Henricus I. per novem annos Hungaris tributa solvere maluit, dum omnia ad bellum cum illis gerendum praeparasset, quam bello statim suscepto patriam in discrimen committere.

VII. **Testimonia.** Aliud Romanorum proverbium est: „festinatio improvida est caeca“; similiter Francogalli dicunt: „Plus on hâte, moins on avance“ et: „Toujours se vange l'inconsideré“. Atque etiam Sallustii illud huc pertinet: Prius quam incipias, consulto, et ubi consulueris, mature facto opus est.

VIII. **Conclusio.** Quamobrem, quidquid faciemus, prudenter considerateque agamus. Multo enim certius id, quod nobis proposuerimus, assequemur, si non caeco impetu feremur, sed in iis, quae ad consilia nostra efficienda idonea videntur, eligendis summam cautionem adhibebimus semperque, ne vires nostras frustra consumamus, diligenter cavebimus.

28. Quam mobilis sit aura popularis.

I. **Exordium.** Suo iure Cicero eum, qui ex errore imperitae multitudinis pendeat, in magnis viris habendum esse negat (Cic. de off. I. § 65); incertum est enim magnitudinis fundamentum vulgi iudicium neque quicquam mobilius aura populari.

II. **Argumentatio.** Neque id mirum; nam multitudo

1) certo iudicio caret ac specie saepe decipitur;

2) beneficiorum acceptorum facile obliviscitur;

3) ab assentatoribus ad iram et invidiam concitatur, ita ut viris vel optime de republica meritis iniuriam inferat.

Mobilitatem populi ventosam praeter ceteros experti sunt apud Graecos Miltiades, Themistocles, Aristides, Pericles, Phocion, Alcibiades, Socrates, apud Romanos Scipio Africanus maior, P. Rutilius, Cicero.

III. **Conclusio.** Vera et sapiens animi magnitudo honestum illud, quod maxime natura humana sequitur, in factis positum, non in gloria iudicat principemque se esse mavult, quam videri (Cic. de off. I. § 65).

29. Bella, quamvis perniciosa sint, tamen non omni utilitate carere.

I. **Exordium.** Bella perniciosissima esse nemo est qui neget; nam lites gentium non ratione et disceptatione, sed vi et armis componunt; cogunt eos, quos invicem se colere atque amare par est, omnes virium nervos intendere, ut damna, dolores, mortem sibi inferant; in multorum animis humanitatem omnem exstinguunt et turpissi-

mas cupiditates et vitia gignunt, quae maxima morum labes sequi solet; denique pulcherrima et naturae dona et hominum opera delent et civitatum ad cultiorem vitam progressus saepe retardant. Sed non omni carent utilitate;

II. **Argumentatio.** Nam

1) mentes acuunt et ingenia exercent;

2) cultum humanum civilemque ad feras gentes transferunt;

3) civitates a languore et inertia prohibent atque ad fortiter strenueque agendum impellunt;

4) amorem pátriae in civium animis excitant vel augent;

5) ad restituendam vel servandam concordiam multum valent.

III. **Conclusio.** Nihilominus cum plura et maiora bellorum incommoda esse soleant, quam commoda, optandum est, ut homines paci inter se servandae consulant, qua nihil magis idoneum est ad salutem eorum augendam.

30. Vitam nostram peregrinationi similem esse.

I. **Exordium.** Multis cum rebus vita humana comparari potest; similis est flumini vel arbori vel etiam, quod minime credas, somnio; sed nihil melius dici mihi videtur, quam vitam similem esse peregrinationi.

II. **Argumentatio.**

1) Ad utramque apparatione quadam opus est. Ut is, qui iter in longinquas terras suscipit, antequam proficiscatur, et res domesticas curat providetque, ne absens rei familiaris iacturam faciat, et omnia

comparat, quibus ad superandas itineris molestias et difficultates opus esse putet, ita in vita multa praeparanda sunt, ut bene beateque eam peragas. Iam puerum te oportet multa discere, multis rebus assuescere, multis abstinere, ut ad vitae genus, quod elegeris, idoneus exsistas.

2) In itinere non omnia ex sententia succedunt, sed multa iniucunda et molesta ferenda sunt; similiter in vita non in omnibus rebus fortuna optatis nostris respondet, sed multae occurrunt difficultates, impedimenta, pericula.

3) In utraque laetae iucundaeque res et tristes adversaeque varie se excipiunt. Peregrinator modo per vastam solitudinem molestiarum taediique plenam migrat, modo per regiones amoenissimas variisque oblectamentis animum exhilarantes; in vita humana quanta sit rerum secundarum et adversarum varietas, nemo ignorat.

4) Et itineris et vitae est finis quidam, ad quem diversis quidem viis, sed omnes serius ocius perveniunt. Viatorum alii, viam stratam sequentes, quam celerrime eo, quo volunt, pervenire student neque aut pulvere soleque aut amoenitate regionum retardantur; alii, ut omnia accuratius cognoscant, avia sectantes aut in urbibus visendi causa diutius morantes hominumque colloquia quaerentes tardius progrediuntur; sed hi quoque postremo eo, quo tendunt, perveniunt. Atque etiam in vita multa nobis proposita sunt, quibus assequendis operam damus, sive rempublicam capessimus sive privatam vitam praeferimus; nec omnibus ad id, quod volunt, consequendum eadem placet via,

sed ut diversa sunt studia, ita diversae, quibus utuntur, rationes. Sed unus est finis, quo omnibus, sive retractamus sive properamus, perveniendum est: „Omnes eodem cogimur“ Hor. carm. II. 3, 25. „Omnes una manet nox et calcanda semel via leti“. Hor. carm. I. 28, 16.

III. **Conclusio.** Quodsi tanta est vitae cum peregrinatione similitudo, quid magis optandum expetendumque est, quam ut, quemadmodum peregrinatio tum iucundissima est, cum et quam plurimas praebet oblectationes et ad exoptatum finem perducit, ita vitae et cursus et exitus sit laetissimus?

31. Magnus est ille, qui in divitiis pauper est, sed securior, qui caret divitiis.

I. **Exordium.** Plerique in divitiis vel appetendis vel collocandis in maximos errores inducuntur, quia aut nimio divitiarum desiderio flagrant aut eas, si non semper, at saepenumero ad iniquum perversumque usum conferunt. Utrique hominum generi Seneca in ep. XX optime suadet, cum dicit: „Magnum esse sqq.

II. **Argumentatio.**

1) Altera huius sententiae parte laudantur non avari homines, qui in maximis divitiis pauperes se esse dicunt, sed temperantes moderatique, qui, licet omnium rerum copia abundent, tamen liberi solutique sunt cupiditatibus ac libidinibus, quibus divites maxime indulgere solent, quique liberales et benefici sunt erga pauperes;

1) altera praedicantur ii, quorum copiae quotidianis

necessitatibus sufficiunt, ut, cum nulla re abundent, tamen non ad pudendam egestatem mendicitatemque profligati sint; nam vacant hi et nimia cupiditate atque aviditate et timore ac metu, quibus divites vexantur, cumque vitae simplicitatem frugalitatemque retineant, conservant morum quoque sanctitatem atque integritatem illamque animi continentiam, qua haud scio an nihil possit hominem feliciorem reddere. Cf. Hor. carm. II. 16, 13. III. 1, 25.

III. **Conclusio.** Quodsi Seneca iusto iure paupertatem praefert vel maximis divitiis, non est quod pauperes iis, qui pecunia opibusque affluunt, magnopere invideant.

32. Virtutem incolumem odimus, Sublatam ex oculis quaerimus invidi.

I. **Exordium.** Raro viri ingenio virtuteque praestantes, dum vivunt, eam, qua digni sunt, laudem et gloriam consequuntur; immo quamvis bene de civibus vel de toto genere humano meruerint, ignominia, cruciatibus suppliciisque ab aequalibus affici solent. Sed qua vivi caruerunt gloria, a posteris eis non denegatur, qui beneficiorum ab eis acceptorum memores meritis laudibus eos prosequuntur. Quod Horatius his versibus persecutus est:

Virtutem incolumem sqq.

II. **Argumentatio.**

Causae repetendae sunt

1) ab invidia hominum; nam plerisque hominibus hoc proprium est, ut neminem virtute ipsos superare facile patiantur aegreque ferant rebus ab aliis prae-

clare gestis suis luminibus offici; quare illis obtrectant, ne ipsi deteriores videantur;

2) ab ignoratione recti; nam aut non intellegunt aut non recte aestimant ea, quae magni ingenii homines perficiunt, quod aut tanta sunt iudicii imbecillitate, ut vera a falsis, bona a malis, utilia a noxiis distinguere nequeant, aut tanta morum pravitate et animi humilitate, ut ad excelsam virtutem intellegendam mentes non possint erigere. Quae clari homines agunt, ea metiri solent sua infirmitate et humilitate; itaque aut non credunt praeclara ab illis effecta esse aut eos vel sua utilitate vel ambitione vel aliis inhonestis causis commotos illa fecisse calumniantur.

Exempla: Socrates, Caesar, Christus.

III. **Conclusio.** Vera virtus hominum iniuria non deterretur, quominus recta, honesta, utilia consectetur; nam

repulsae nescia sordidae
Intaminatis fulget honoribus.
(Hor. carm. III. 2, 17.)

33. Minus ex crastino pendes, si hodierno manum ieceris.

I. **Exordium.** Speres forsitan, hominem salutis suae studiosum omnes dies ita ad utilitatem suam conferre, ut non laboris fugiens, sed strenuus et impiger sit, et quod hodie curandum ei est, non in sequentem diem transferat. Sed non pauci inveniuntur, qui multos dies per inertiam agant et, quamquam hoc semper secum constituant, ut felicitatis memores labores sustinere velint, tamen aut nunquam aut aegre propositum assequantur. His bene suadet Seneca (ep. I): Minus ex sqq.

II. **Tractatio.**

1) Ob naturae nostrae imbecillitatem fragilitatemque pendemus ex tempore; huic omnes mutationes nobis subeundae obnoxiae sunt, et negotiis nostris, donec ad ea sublevanda opportuni temporis venerit maturitas, saepenumero moram inicere debemus.

2) Si ei iam hodie eiusmodi actiones subduxerimus, quae etiam cras suscipi possint, et si cras, quamvis nos laboriosos esse iusserit, requie perfrui poterimus, temporis imperium angustioribus quibusdam limitibus includimus.

3) Accedit quod, quomodocunque se habet corporis animique nostri status — et quis est quem fugiat, quantum in perficiendis laboribus nostris in eo ipso positum sit? — si hodie iam curaverimus et cras fortasse illis conficiendis parum apti atque idonei erimus, non intermittentur negotia nostra.

III. **Conclusio.** Inprimis iuvenes admonendi sunt, ne unquam huius Senecae praecepti obliviscantur eamque animi levitatem fugiant, qua plurimi iuvenum labores, praesertim eos, quibuscum difficultates coniunctae esse videantur, plerumque, quantum fieri potest, procrastinare solent.

34. Non qui parum habet, sed qui plus cupit, pauper est.

(Chria.)

I. **Exordium.** Sapientissima solatiique plena omnibus, quibus Deus externa bona „parca manu dedit“, est vox illa Senecae, qui in extrema epistola II. hoc dicit: Non qui sqq.

II. **Expositio.** Vulgus, qui divitias atque pauper-

tatem bonorum multitudine metitur, pauperem appellat eum, qui non plus habet, quam quantum ad vitam sustentandam requiritur; Seneca in definienda hac notione maiore acumine utitur, quum dicit paupertatem non cerni in multarum rerum inopia, sed in cupiditate neque in illa iudicanda ad bonorum paucitatem, sed ad hominis desideria optataque respiciendum esse.

III. **Ratiocinatio.** Et recte id quidem; nam

1) Qui animum in optando cohibent, i..e., qui non excruciantur desiderio bonorum, quae divina providentia eis denegavit, animumque avocant a contemplatione earum rerum, quae eis desunt, sorte sua contenti sunt et animi tranquillitate fruuntur non perturbata; ergo satis divites sunt.

2) Qui autem, quod suam conditionem et prosperitatem parum cognoscunt, ea, quae desunt, pluris, quam aequum est, aestimant, qui meliore se fortuna dignos esse arbitrantur neque persuasum habent, res suas Dei providentia administrari, plura et maiora in dies concupiscunt atque infelices sibi videntur; ergo in omnium rerum abundantia pauperes recte dicuntur.

IV. **Contrarium.** Sunt quidem, qui illam animi continentiam vituperent, laudent maiorum rerum studium, quo homines excitentur ad res strenue gerendas; cupiditatem aiunt acerrimum esse virium humanarum stimulum. Certe laudandum est maioris virtutis rerumque cognitionis studium, sed non insatiabile divitiarum opumque desiderium, quo qui vexatur, miserrimus est.

V. **Simile** peti potest ex Horatii loco, qui est in carm. II. libri II.

VI. **Exempla.** Praeter Anacharsim Scytham, Socratem, Xenocratem (cf. Cic. et Tusc. V. 32) inprimis commemorandus est Diogenes Cynicus, qui disputare solebat, quanto regem Persarum vita fortunaque superaret: sibi nihil deesse, illi nihil satis unquam fore; se eius voluptates non desiderare, quibus nunquam satiari ille posset; suas eum consequi nullo modo posse. De Xerxe cf. Cic. de Tusc. V. § 20.

VII. **Testimonia.** „Crescentem sequitur cura pecuniam maiorumque fames“ Hor. carm. III, 16, 17. „Quanto quisque sibi plura negaverit, a dis plura feret“ sqq. Hor. carm. III, 16, 21 sqq. cf. l. III. 24, 62. l. III. 1, 35. l. II. 2, 9. Senecae ep. CXIX. Xen. Mem. I. 6, 10.

VIII. **Conclusio.** Caveamus, ne externorum bonorum desiderio nimis flagremus; in una re nunquam nos satis assecutos esse arbitremur, in virtutis honestatisque studio.

35. Prudens futuri temporis exitum Caliginosa nocte premit deus.

I. **Exordium.** Multas res obscuras cognitioneque dignas homo explorare potest; sed unum nulla mentis acie perspicere ei licet, quid futurum tempus ferat. Quae ignoratio futurorum ei utilior est quam scientia. „Prudens futuri“ sqq.

II. **Tractatio.**

1) Si, quae calamitates et mala nobis subeunda sint, sciremus, animis ita perturbaremur, ut desperaremus. Fingamus Caesari, Pompeio aliisve viris praeclaris non ignotum fuisse, quem vitae exitum habituri

essent, nonne hac cogitatione impediti essent, quominus magnas illas res gererent?

2) Si felices nos fore atque in omnibus rebus, licet nobis defuissemus, secunda fortuna usuros sciremus, omnis industria, virtus maiorumque rerum studium tolleretur. Quotusquisque iis virtutibus operam daret, quibus hominum animi conciliantur, aut populo quam maximis in rempublicam meritis se commendare studeret, si ignavo etiam et segni sibi honores mandatum iri praenosset?

III. **Conclusio.** Bene igitur divina providentia nobis consuluit, quod futura tenebris involvit; si officiis nostris semper satisfecerimus, non erit, cur de futuris rebus nimis anxii et solliciti simus.

36. Quales fuerint Homericorum deorum mores.

I. **Exordium.** Nihil in hominibus turpe et probrosum esse, quod non diis Homerus affinxerit, Xenophanes, Plato atque Euripides queruntur. Sed id ex parte verum, ex parte falsum est.

II. **Tractatio.**

1) Illud quidem fatendum est, deos apud Homerum obnoxios esse irae, libidini, errori, omnibus denique animi perturbationibus;

2) neque praestant hominibus nisi magnitudine virium et quod vehementius concupiscunt, pertinacius irascuntur, immanius saeviunt;

3) quare ab eorum natura non absunt omnia vitia et peccata, quae ex imbecillitate, ex humilitate, ex

ignavia nascuntur, et scelera ea, ad quae committenda animi quadam magnitudine opus est.

Sed iidem dii multis magnisque virtutibus elucent:

1) Sunt modesti et considerati,

2) fraudium iniuriarumque vindices,

3) misericordes et ad meliora cognoscenda faciles,

4) divinorum humanorumque iurum auctores.

III. **Conclusio.** His virtutibus differunt a Titanibus et Gigantibus, immanibus illis „brachiisque fidentibus“ (Hor. carm. III. 4. 50), quibus devictis Iupiter totius mundi imperium adeptus est.

37. Quarum virtutum exemplar Ulyxis ab Homero nobis propositus sit.

I. **Exordium.** Initio epistolae alterius l. I. Horatius non dubitat dicere, Troiani belli scriptorem „quid sit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non“ planius ac melius docere, quam subtilissimos libros philosophorum; quod ut comprobet, inprimis:

Utile proposuit nobis exemplar Ulyxen.

II. **Tractatio.** Is enim demonstrat,

1) quid constantia possit: nam „latum per aequor, dum sibi, dum sociis reditum parat, aspera pertulit, adversis rerum immersabilis undis“. Cf. Cic. de off. I. § 113;

2) quid prudentia; ea enim et in errore diuturno et domi, cum rediisset, gravissima pericula evitavit;

3) cavendum esse, ne praesenti utilitate aut commodo capiamur impediamurque, quominus altiora petamus. Sirenum voces Ulyxem non retardarunt; repu-

diavit Circae pocula, „quae si cum sociis stultus cupidusque bibisset, sub domina meretrice fuisset turpis et excors, vixisset canis immundus vel amica luto sus“.

III. **Conclusio.** Quodsi Homerus tam sapientium praeceptorum et salubrium consiliorum auctor est, etiam hac de causa diligenter eum oportet legere.

38. Laus agriculturae.

I. **Exordium.** Diversum est veterum et nostrum de nonnullis artificiis et quaestibus iudicium. Illis „opifices omnes in sordida arte versantur, nec quicquam ingenuum habere potest officina“ (Cic. de off. I. § 150); etiam „mercatura, si tenuis est, sordida putanda, sin magna et copiosa, non admodum vituperanda“ (de off. I. § 151). Nobis et multa opificia et mercatura satis honesta videntur. De agriculturae laude omnes fere veteres et recentes consentiunt (Cic. Cat. m. c. 15, 51 sqq. de off. I. § 151).

II. **Argumentatio.** Et recte quidem; nam agricultura:

1) fructuosissima est; terra enim nunquam imperium recusat eaque, quae accipit, non sine magna usura reddit:

2) dulcissima; nam rationem habet cum natura, quae maxime varias et summas delectationes praebet;

3) homine dignissima, quoniam libertatem eius minime coercet; nam quis minus ab aliorum voluntate pendet, quam qui ea, quae ad vitam sustentandam necessaria sunt, ipse sibi parare potest?

4) a cupiditatibus quam maxime disiuncta et cum officio coniuncta cf. Cic. pr. Rosc. Am. c. 14—18.

III. **Conclusio.** Quanti agricultura et vita rustica a Romanis habita sit, vel inde apparet, quod apud eos etiam ab aratro arcessebantur, qui consules fierent. Cicero non dubitat dicere nullam aliam ob causam civitatem Romanam ex minima tenuissimaque maximam et florentissimam factam esse, quam quod maiores suos agros diligenter coluissent, alienos non appetiissent.

39. Inimica est multorum conversatio.

I. **Exordium.** Quamvis utilis et salubris sit paucorum consuetudo, praesertim si in his paucis eligendis diligentiam et cautionem adhibuerimus, tamen multorum conversatio non potest non periculosa esse.

II. **Tractatio.**

1) Paucorum consuetudo quum haec commoda habeat:

a) ut multum conferat ad animum exhilarandum,

b) ut ingenium excolat et rerum usu augeat,

c) ut secundarum magis quam adversarum rerum sensu afficiamur,

2) multorum conversatio iure dicitur inimica esse; cui autem?

a) animis nostris; nam quamvis verum sit in maiore amicorum numero multos probos eoque plures inveniri, quo maior ille sit, tamen etiam improborum exempla deesse non possunt; quibus quam facile mores corrumpantur, quotidianae vitae usu edocti scimus;

b) tempori nostro, quod est bonorum nostrorum longe pretiosissimum, cuius iactura compensari ne-

quit; id multorum conversatione nimis perditur; quo fieri non potest, quin animi nostri conformationem neglegamus;

c) rei familiari nostrae; nam multorum consuetudo cum multis sumptibus coniuncta est, si quidem liberalissimum quemque pudet foris eadem uti parsimonia et diligentia, qua domi.

III. **Conclusio.** Quae incommoda ut evitemus, cauti simus in iis, quibuscum versari volumus, eligendis; quod si fecerimus, periculum non erit, ne plurium, quam utile est, consuetudine et familiaritate utamur.

40. Longum iter est per praecepta, breve et efficax per exempla.

I. **Exordium.** De vi et potestate praeceptorum non omnes inter se consentiunt. Alii praeceptis maximam vim tribuunt, alii ea prorsus contemnunt. Atque hi quidem Senecae auctoritate nituntur, qui dicit „longum iter esse sqq.“ Quod quam recte faciant, apparebit, si Senecae verba quid sibi velint, accuratius expenderimus.

II. **Tractatio.**

1) Ad morum disciplinam si locum illum referimus, rectissime se habet, suoque iure Seneca omnibus de moribus praeceptis bona exempla praefert; nam

a) vel optima praecepta nihil proficiunt, nisi exemplis adiuvantur, contra exempla etiam nulla ratione et disciplina maximam vim habent;

b) illa efficiunt, ut recta intellegamus, haec ad recte agendum statim nos impellunt; „verba docent, exempla trahunt“.

2) De iis praeceptis, quae ad artes litterasque pertinent si agitur, aliter res se habet; vera tum est sententia illa, si de nimia praeceptorum regularumque copia cogitamus, quoniam non numerus, sed natura ipsa eorum respicienda est, falsa, si de praeceptis regulisque simpliciter dicitur; nam

a) omnes artes et disciplinae certis firmisque regulis continentur, quas qui ignorat, nullam rem penitus perspectam habere potest;

b) sine praeceptorum cognitione in eligendis exemplis facile erramus, quoniam diiudicare non possumus, quae exempla bona, quae mala sint.

III. **Conclusio.** Quae quum ita sint, apparet accurata et subtilia praecepta cum bonis commodisque exemplis coniungenda esse, ad quae si frequens accesserit exercitatio, sperare licet, satis amplam et uberem artium litterarumque cognitionem comparari posse.

41. Mala sua amare, malorum ultimum est.

I. **Exordium.** Multis malis homines obnoxios esse scimus, quibus haec vita miserrima efficitur; sed, si Senecae credimus (ep. XXXIX), omnium malorum ultimum est mala sua amare; et recte id quidem; nam

II. **Argumentatio.**

1) facile apparet, hanc vocem non ita explicandam esse, ut de iis cogitandum sit, qui in miseria et calamitatibus versentur, quoniam nemo tam stultus reperietur, qui eas amet; nisi statuimus eius vim hanc esse, ut animo forti et constanti calamitates ferendas esse dicat; immo apparet

2) ad mores sententiam illam referendam esse neque quicquam aliud Senecam dicere, nisi hoc: amorem vitiorum summum vitium esse; tum verissima est communique utilitati inserviens; nam qui voluptatem capit ex vitiis suis,

a) is putat in illis cerni non tam animi labes atque maculas, quam perfectiones;

b) is non solum vitiorum illecebris non resistet, sed etiam nullam cupiditatis explendae occasionem praetermittet neque ad eam sedandam ulla impedimenta aut difficultates fugiet;

c) is maiorem cum vitiis contraxit familiaritatem, quam quae permittat, ut ea deponat; tunc illud fit, quod Seneca sub finem illius epistolae dicit: „desinit esse remedio locus, ubi, quae fuerant vitia, mores sunt".

III. **Conclusio.** Recte igitur Seneca, cum in tali animi indole summum vitium positum esse putet, id malorum ultimum habet, quia omnis spes abicienda est, hominem tam corruptis moribus, qui vitia sua amet, ad bonas fruges unquam redire posse.

42. Omnes artes artissime coniunctas esse cum virtute.

I. **Exordium.** Quod M. Cato dicit, oratorem esse eum, qui bonus sit vir et dicendi peritus, et Quintilianus, oratorem non solum oportere bonum virum esse, sed ne futurum quidem bonum oratorem, nisi bonus vir sit, idem ad omnes, qui artibus liberalibus operam dant, pertinet: „omnes enim artes" sqq.

II. **Argumentatio.**

1) Quantum ad eas cum fructu percipiendas et tractandas integritas morum et virtus conferat, inde apparet,

a) quod ad maiores in litteris progressus faciendos praeter ingenium et intelligendi vim inprimis animo sedato et placato opus est, quoniam, si in ulla alia re, in litterarum studiis animus cupiditatibus turbatus impar est muneri suo exsequendo;

b) accedit, quod homines corruptis moribus praediti a doctorum hominum societate et usu prohibentur.

2) Nemo artem, quam didicit, recte exercere potest, nisi ad ingenii elegantiam et doctrinae copiam egregia vitae morumque commendatio accedit:

a) Iuris consultis, nisi innocenter integreque vivunt, nemo tam stultus erit, qui fortunas suas vel incolumitatem committat, aut tam insanus, qui publicum munus mandatum velit; atque etiam in consiliis dandis quantam vim habeat spectata virtus et fidei ac religionis opinio, quis est qui nesciat?

b) Medici, libidinibus ac turpitudini dediti, nemini non periculosi sunt et magis quam ipsi morbi, infesti ac timendi; quare rectissime Hippocrates medicinam professuris pietatem erga deos, vitae honestatem, morum integritatem commendat atque ab omni avaritia effrenatisque cupiditatibus liberos eos esse vult.

c) Iuventutis praeceptores, quorum opera non solum in erudiendis, sed etiam educandis

atque honestatis virtutisque sensu imbuendis pueris cernitur, quantam pestem tenerae aetati allaturi sint, si praeceptis ipsorum exempla non respondeant, non attinet pluribus exponere.

d) Theologus denique sine virtutis splendore nemo esse potest, quoniam theologia et religio et virtus eodem quasi spiritu vivunt; quid? quod ipsum theologiae nomen tam sanctum et divinum est, ut a theologi nomine abhorreat, quidquid non modo inhonestum et turpe, sed etiam humanae infirmitatis affine est.

III. **Conclusio.** Quibus ex rebus intellegendum est adolescentibus, se frustra dies noctesque in litterarum artiumque studiis consumere, nisi eadem voluntate eodemque studio et ingeniis excolendis et moribus ad virtutem conformandis operam dent.

43. Dos est magna parentium virtus.

I. **Exordium.** Horatius in carm. XXIV. libri III, quo, ut multis aliis, cives ad pristinam morum integritatem revocare studet, simplicem Scytharum Getarumque vitam laudans, apud eos mulieribus „dotem magnam esse praedicat parentium virtutem“. Quod ille de feminis barbarorum illorum dicit, idem ad omnes pertinet. Nam „optima heriditas a patribus traditur liberis omnique patrimonio praestantior gloria virtutis rerumque gestarum“ Cic. de off. I. § 121.

II. **Argumentatio.** Nam

1) ea bonam apud omnes existimationem parat; qui enim bonis parentibus usi sunt, eos sperare licet

optimis praeceptis innutritos liberalibusque artibus imbutos ipsos quoque bonos fore. „Fortes creantur fortibus et bonis" Hor. carm. IV. 4, 29; efficit igitur illa, ut cives eis fidant facilioremque ad honores aditum dent.

3) Is ipsis acerrimus virtutis stimulus est; nam quid magis eis, qui illustri loco nati sunt, curae esse debet, quam ut virtutem maiorum imitentur?

3) Maiorum memoriae dedecori esse omnibus temporibus nefas et impium iudicatum est.

4) Quanto vita maiorum praeclarior, tanto posterorum socordia flagitiosior: „maiorum gloria posteris quasi lumen est: neque bona neque mala eorum in occulto patitur". Sall. bell. Iug. c. 85. 23.

III. **Conclusio.** Hinc nata est nobilitas generis, cuius auctoritas omnibus temporibus tam firmiter constituta erat, ut homines, quamvis invidia ducti contenderent, eam abolere non possent.

44. De poetarum et apum similitudine.

I. **Exordium.** Haud raro poetae se cum apibus, studium suum cum mellificio quodam comparant (cf. Hor. carm. IV. 2, 27 sqq. Plat. Ion. p. 534 A.). Atque revera, si quis accuratius inspiciet, inter utrosque magnam esse similitudinem intelleget.

II. **Argumentatio.**

1) Apes in struendis operibus suis naturam tantum tamquam magistram sequuntur, nulla arte adhibita; sic poetae sola natura valent.

2) Apes, nisi lacessuntur, innoxiae sunt: lacessitae stimulis eos pungunt, a quibus violatae sunt, et acerbissimos dolores eis afferunt. Eodem ingenio sunt poetae. Nulla hominum natio, ubi non violantur, innocentior est; iniurias ita ulciscuntur, ut interdum eos, a quibus illatae sunt, ad mortem adegisse dicantur (Archilochus) cf. Horatius Ep. VI. Quare Plato eis, qui bonae famae studiosi sint, praecipit, ut caveant, ne cum poetis inimicitias suscipiant.

3) Apes ex variis floribus succum sugentes opus dulcissimum parant. Similiter poetae per hortos illos Gratiarum et Veneris, de quibus Pindarus loquitur, vagantes et bellissimum quodque ex iis carpentes ea carmina concinnant, quibus ne mel quidem dulcius esse potest.

III. **Conclusio.** Quod Horatius in carmine, quod supra laudavi, cum ape Matina se comparans operosa parvum carmina se fingere dicit, in hac re modestia eius cernitur; sibi enim apum sedulitatem ac plurimum laborem necessarium esse hac comparatione significat, Pindaro grandia carmina ultro fluere.

45. Neglegere, quid de se quisque sentiat, non solum arrogantis est, sed etiam omnino dissoluti.

I. **Exordium.** Recte a viris sapientibus illud praecipitur, ne ab imperitae multitudinis errore pendeamus; cui semper placere et probari velle certe stultissimum est. Neque tamen aliorum de nobis iudicia prorsus licet contemnere. Nam neglegere, quid sqq.

II. **Argumentatio.**

1) Arrogantis est credere, omnes ceteros errare, nos solos recte et videre et facere; „nam interdum vulgus rectum videt", praesertim si quid a nobis delinquitur. „Vox populi vox dei". Tali autem arrogantia impediemur, quominus nos cognoscamus.

2) Dissoluti levisque hominis est, quid alii de se sentiant, non curare; nam

a) et utilitas et honestas postulant, ut eorum, quibuscum vivimus, approbationem moveamus, vitemus vituperationem;

b) plerumque ii se vulgi sermones dicunt contemnere, qui vitam libidinosam omnibusque voluptatibus deditam agunt.

III. **Conclusio.** Multum patet referre, quinam ii sint, quorum iudicia respiciamus: „Principibus placuisse viris non ultima laus est" (Hor. Ep. I, 17, 35). Non numerandae, sed ponderandae sunt sententiae.

46. Ut adversas res, sic secundas moderate ferre difficillimum est.

I. **Exordium.** Magna est rerum humanarum vicissitudo. „Omnia sunt hominum tenui pendentia filo. Et subito casu quae valuere ruunt" (cf. Hor. carm. I, 34, 12—16). Sed „praeclara est aequabilitas in omni vita et idem semper vultus eademque frons" (Cic. de off. I. §. 90); quam et in adversis et in secundis rebus servare difficillimum est.

II. **Argumentatio.** Nam adversis rebus plerique ita moventur et perturbantur.

1) ut animum abiciant et fortunae cedant,

2) ut de divinae providentiae auxilio desperent nec unquam aut divina aut humana ope se ex miseria emergere posse putent;

3) ut ad fortunam suam corrigendam fraude, furto, omnibus denique malis artibus uti non vereantur.

Sed non minus difficile atque haud scio an multo etiam difficilius est secundas res moderate ferre.

Nam, quae est natura hominum, in rebus prosperis et ad voluntatem fluentibus facile ad superbiam et insolentiam inducti,

1) quam caducae sint res humanae et quam mobilis fortuna, obliviscuntur,

2) alios despiciunt atque ad odium et invidiam excitant,

3) bonorum amicorum consilia aspernantur,

4) ab assentatoribus se capi patiuntur,

5) denique, quod gravissimum est, voluptatibus ac libidinibus se dedunt.

III. **Conclusio.** Rarissima sunt exempla Socratis, Laelii, Philippi Macedonis. Cavendum est, ne externis bonis nimium tribuamus; tum et animi humilitatem et superbiam, quas tot tantaque mala consequi solent, facilius effugiemus.

47. Quod Cicero (pro Arch. p. c. 1) dicit omnes artes cognatione quadam inter se contineri, id ipsum, cum dicendi arti operam daret, non neglexisse.

I. **Exordium.** Constat apud Romanos neminem fuisse, qui Ciceronem eloquentiae laude superaret vel aequaret. Neque id mirum; nam vix quisquam reperietur, qui et tantum ingenium ad eloquentiae studium attulerit et tanta diligentia omnes discendi labores et exercitationes subierit. Neque enim satis esse putavit, soli dicendi arti operam dare, sed, cum persuasum ei esset, omnes artes cognatione quadam inter se contineri, in ceteras quoque, quae apud Romanos colebantur, diligenter incubuit.

II. **Tractatio.**

1) Atque primum quidem sumpta virili toga ad Q. Mucium Scaevolam eoque mortuo ad pontificem Scaevolam se contulit, ut ius civile ab eo disceret, quae disciplina quanti momenti sit futuro oratori, nemo non ignorat;

2) deinde aliquamdiu arti poeticae vacavit, ut elegantiorem dicendi rationem consequeretur;

3) tum historiae studium non neglexit, oratorem rerum, quae antea gestae essent, cognitione carere non posse ratus;

4) denique maxime studium tractavit philosophiae, quam cum omnium laudatarum artium quasi parentem esse putaret, nihil praetermisit, ut penitus cognosceret. Itaque non solum adolescens, quum institutione et exercitatione ad id vivendi genus, quod elegerat, se praepararet, sed etiam postea, cum orationis vi omnium animos in se convertisset, praeter rhetori-

cae artis studium ad philosophiam incubuit. Quamdiu Romae erat Phaedro Epicureo, Philone Academico, Diodoto Stoico praeceptoribus usus est; postea autem, valetudinis firmandae causa in Graeciam et Asiam profectus, cum Antiocho, clarissimo veteris Academiae philosopho, diu versatus est et Posidonium Stoicum, discipulum Panaetii, diligenter audivit. Atque etiam postea, cum a republica recessisset, a philosophiae studio saepe rerum adversarum solatium petiit.

III. **Conclusio.** Ex hac multiplici institutione et diligentissimis exercitationibus admirabilis illa vis orationis efflоruit, qua postea id consecutus est, ut etiam Cottae et Hortensii, qui eum et aetate et dignitate anteibant et in foro quasi regnare videbantur, luminibus officeret et omnium oratorum princeps haberetur.

48. Quomodo inter se differant assentator et amicus.

I. **Prooemium.** Quoniam nemo non se ipsum amat, assentatori haud difficile esse solet in familiaritatem nostram se insinuare. Itaque, ne maxima detrimenta capiamus, necessarium est assentatorem et amicum distinguere posse. Sunt autem certa quaedam indicia, e quibus, quomodo ille inter se differant, satis cognoscas.

II. **Tractatio.**

1) Assentator quidvis laudat, licet per se aut parvi sit aut vituperandum; amicus nihil laudat nisi quod laude dignum est;

2) assentator semper laudat, amicus nonnunquam etiam vituperat aut tacet;

3) assentator praesentes nos laudat solisque verbis, amicus etiam absentes et factis, quae dicit, confirmat.

4) assentator, simulatque id, quod sibi proposuit, assecutus est aut si nos in res adversas incidisse videt, laudare et comprobare dicta factaque nostra desinit, amicus tum maxime et solatio et consilio et re nos adiuvat; „amicus certus in re incerta cernitur".

III. **Conclusio.** Quae quum ita sint, haec indicia diligenter adhibeamus atque in eligendis amicis caveamus, ne ab assentatoribus illudamur, qui eo facilius ad amicitiam arrepunt, quo propensiores sumus ad nimium nostri amorem.

49. Sperat infestis, metuit secundis Alteram sortem bene praeparatum Pectus. Hor. carm. II. 10, 13.

I. **Exordium.** Plerique homines in rebus adversis animo deficiunt, in secundis insolescunt; sed sapientis est in utraque fortuna animi aequabilitatem servare. Sperat infestis sqq.

II. **Argumentatio.** Qui veram vitae felicitatem assequi et servare vult, eo semper animo sit oportet, ut nihil neque adversi neque secundi a se alienum putet. Quare

1) si in angustiis et miseria versatur, semper ea spe et cogitatione erigitur fore, ut ad meliorem conditionem redeat; idque iure sperare potest, quod scit fortunam esse mutabilem — „Non si male nunc, et olim sic erit". Hor. carm. II. 10, 17. — neque ignorat labore et contentione multum effici posse ad meliorem rerum statum reducendum;

2) sin secunda fortuna utitur, non ad superbiam et fastum inducitur, sed semper considerat fieri posse, ut illa mutetur. Est enim „nunc mihi, nunc alii benigna“ (Hor. carm. III. 29, 52). Quare non nimis fidit huiusmodi bonis, quae fortunae ludibrio eripi possunt, neque eorum possessione adeo gaudet, ut nihil eis maius et melius esse arbitretur — „Laudat manentem; si celeres quatit pennas sqq.“ Hor. carm. III. 29. 53.

Hoc animo sapientissimi omnium aetatum homines fuerunt; meminerimus Anaxagorae, Xenophontis, Socratis sqq.

III. **Conclusio.**

Optima est vitae mediocritas; „Auream quisquis mediocritatem sqq.“ Hor. carm. II. 10, 5. „Vivitur parvo bene, cui paternum sqq.“ Hor. carm. II, 16, 13.

50. Quae in vitae genere deligendo observanda sint.

I. **Exordium.** Difficillimum est, quem quisque vitae cursum sequatur, constituere. Qua in re non omnes rectam viam ingrediuntur. Plerique enim parentum praeceptis imbuti ad eorum consuetudinem moremque deducuntur; alii multitudinis iudicio feruntur quaeque maiori parti pulcherrima videntur, ea maxime expetunt. In re tam gravi si errare nolumus,

II. **Tractatio.**

1) inprimis naturae nostrae ratio habenda est; ea enim firma et constans est, fortuna mutabilis; explorandae ergo sunt vires et facultates, ut constare in perpetuitate vitae possimus nobismet ipsis nec in ullo officio claudicare;

2) praeterea fortuna nostra respicienda est; nam si ad solam naturam consilium omne revocare velimus, periculum est, ne id vitae genus deligamus, quod ut consequamur, rei familiaris angustiis aut temporum iniquitate impediamur:

3) tertium adiungatur consilium parentum aut aliorum usu peritorum hominum, quod in iis, quae dubitationem afferunt, eligendis adhibere non alienum est:

4) denique etiam inclinatio quaedam animi consideretur, qua ad certum quoddam vitae genus ferimur; sed hac in re propter iudicii infirmitatem facillime erramus.

III. **Conclusio.** Iam vero, si consuluerimus, quem vitae cursum sequendum nobis esse putemus, constantiam teneamus oportet — id enim maxime decet —, nisi forte nos intellexerimus erravisse in deligendo genere vitae.

Druck von Metzger & Wittig in Leipzig.

Druckfehler.

Seite	4	Zeile	9	von unten	zu lesen	explicanda statt explicandae.
„	15	„	10	„ „	„ „	significat is st. significatis.
„	22	„	2	„ „	zu trennen	trans- itus st. tran- situs.
„	30	„	6	„ „	zu lesen	hae st. haec.
„	39	„	5	von oben	„ „	discidio st. dissidio.
„	41	„	10	von unten	„ „	et st. at.
„	46	„	6	von oben	„ „	subicerent st. subiicerent.
„	46	„	3	von unten	„ „	conderentur st. condirentur.
„	65	„	13	von oben	„ „	devicit st. divicit.
„	66	„	4	„ „	„ „	repudiaverant st. irepudiaverant.
„	80	„	7	„ „	„ „	eximium st. eximiam.
„	85	„	12	„ „	„ „	intellegebat st. intellegeret.
„	88	„	19	„ „	„ „	cogunt st. cogit.
„	88	„	7	von unten	„ „	ad st. at.
„	111	„	15	von oben	„ „	neglegere st. negligere.
„	111	„	16	„ „	„ „	restinguitur st. restinquitur.
„	116	„	13	von unten	„ „	neglegitur st. negligitur.
„	117	„	10	„ „	zu trennen	dis-trahatur st. di-strahatur.
„	125	„	11	„ „	zu lesen	afferre st. affere.
„	142	„	11	von oben	„ „	virtutibus st. virtutis.
„	142	„	3	von unten	„ „	deiciuntur st. deiiciuntur.
„	142	„	7	„ „	„ „	intellegimus st. intelligimus.
„	177	„	1	von oben	„ „	sit st. est.

12202

Galbula, J
Lateinische Aufsätze.

LaL.Gr
G1487kx

University of Toronto
Library

DO NOT
REMOVE
THE
CARD
FROM
THIS
POCKET

Acme Library Card Pocket
LOWE-MARTIN CO. LIMITED